

**Casparus Brülovius**

**‘Caius Iulius Caesar’**

Tragoedia  
(1616)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Februar 2007

## Tragoediae Περιοχή

Divus Quirinus atque Caesar Iulius  
Vrbi facinora praedicant sua praestita.  
Cicero, inimicis Caesar ut reddit suis  
Vitam decusque, hanc evehit clementiam.  
Sed post ab ampio honore decreto ordine 5  
Caio monarchae, Brutus et trux Cassius  
Manus nefandas Imperatori inferunt;  
Octavianus quam graviter ulciscitur,  
Triumviris cum caeteris, caedem impiam.  
Sed Tullio iussu peremto Antonii,  
Mox parricidae principes cum Porcia 10  
Mortem sibi accersunt; mulieres, Fulviae  
Furore pressas, placat Octavii favor.  
Antonio cum uxore devicto sua,  
Haec timida cum famula occidit morsu aspidum,  
Antonius sese ense saevus traiicit, 15  
Pacem restituit Caesar orbi Octavius.

## Personae Tragoediae loquentes

Quirinus vel Romulus	primus Romanorum Rex
Caius Iulius Caesar	a Senatoribus in Curia nefande caesus anno aetat. 56 die 15. Martii ab u. c. 709
M. Antonius	Consul et Triumvir crudelissimus
M. Tull. Cicero	a tyranno Antonio Fulviaque uxore, resistente et connivente tandem Octaviano, proscriptus et occisus

### *Percussores Caesaris*

M. Iunius Brutus Caepio	a pugna Pharsalica non tantum vita cum reliquis subsequentibus coniuratis a Iul. Caesare conservatus, verum inter amicos etiam habitus, Galliam et Praeturam urbanam obtinuit. post benefactoris sui caedem cum fratre Decimo et Cassio gladio se traiicit.
D. Iunius Brutus Albinus	Consul constitutus a Caesare et inter secundos haeredes ab eodem scriptus fuit.
C. Cassius	a Iul. Caesare ad Praeturam evectus et Consul designatus est.
C. Trebonius	Legatus Caesaris in Galliis, deinde Praetor et Consul eiusdem beneficio Caesaris
P. Servilius Casca	hic primus Caesari infligit vulnus.

L. Tull. Cimber	
L. Domitius	
Cornel. Cinna	
Q. Ligarius	
Pontius Aquila	
Publ. Turullius	
Livius Drusus	
Ambiorix	Dux Celtarum sive Germanorum veterum
Cavarilla	foemina Germ. adultera
L. Genutius	Apparitor
Porcia	M. Bruti uxor fidelissima, marito mortuo, vitae pertesa, ardentes (verba sunt Martialis Epigr. l. I.) avido bibit ore favillas oreque concluso et compresso carbonibus semet ipsam suffocavit.
Calpurnia	C. Iul. Caesaris coniux
Hortensia	foemina facundissima, mulierum Romanarum causam agit apud Triumviro.
M. Aemilius Lepidus	Praetor, Consul, Mag. Eq. et Triumvir; Caesaris amicus. ab Octaviano coactus triumviratu sese abdicavit.
Spurina	Augur
Venus	
Iuppiter	
Alecto	
Megaera	
Tisiphone	Furiae
C. Iul. Caesar Octavianus Augustus	secundus Roman. Imperator, C. Iulii Caesaris sororis nepos, a quo non solum haeres scriptus, sed in filium etiam adoptatus est; ideoque in nomen familiamque eius transivit.
Fulvia	Antonii uxor, quae nihil muliebre praeter corpus habebat; gladio enim cincta Triumviro ad caedes perpetrandas virumque ad supplicium de Cicerone sumendum armavit et cuncta miscuit.
Herennius	Centurio
Cn. Popilius Laenas	a Cicerone aliquando in iudicio capitis defensus, ingratissimus illi caput et dexteram amputavit.
Spectrum	M. Bruto apparens
Cleopatra	Aegypti Regina ultima, victa et capta ab Octaviano, aspide sese necat.
Psella	Cleopatrae virgo nobilis, eodem mortis genere occubuit.
Proculeius	Octaviani intimus
Regulus	Dux Puerorum a partibus Caesaris stantium
Pueri Octaviani	
Lentulus	Dux Puerorum pro Antonio pugnantium
Pueri Antoniani	
Milites Antoniani	
<Chorus canens>	
<Chorus Lupercorum canens>	
<Chorus Deorum et Romanorum canens>	

## **Actus primus**

### **Scena prima**

Quirinus

Quir. Coeli trisulco templa petii fulmine,  
Capreae ad paludem iura cum populo dabam;  
Coeli trisulco templa linquo fulmine  
Latique terras, nostra visito moenia,  
A curibus olim nomen hastatum trahens, 5  
Divus Quirinus, patre Gradivo satus  
Rheaque matre, lacte nutritus lupae,  
Simulacra cuius in his videntur montibus.  
Fossus meo postquam ense cecidit Amulius,  
Amulius contemtor aequi, mens mala, 10  
Paliliumque festus incepit dies,  
Vbi silva stabat, ubi recessus erat gregis,  
Vrbis iacio cum fratre nova fundamina,  
Maduere cuius spreta sanguine moenia.  
Nam regna socium ferre minime sustinent; 15  
Socii potestas omnis impatiens erit.  
Pater ipse coeli pepulit e coelis patrem  
Suisque regnum fratribus partitus est.  
Quas non procellas excitarunt Labdaci  
Gemini nepotes? scelere Tantaleam domum 20  
Implevit Atreus; bina progenies Procae  
Sese impiavit, sceptrum dum mutua gerit.  
Haec nostra Roma novit incunabula,  
Tenuia sane; verum ad imperii decus  
Evecta summum, Dea vocatur gentium, 25  
Cui nil secundum, simile cui nihil ullibi.  
Ego namque fortunantibus Diis omnia  
Primus Deorum numen accivi sacrum;  
Diis templa, Diis altare primus condidi,  
Deinde leges iuraque tuli. legibus 30  
In corpus unum subditorum pectora  
Coalescere solent, spiritus lex urbis est,  
Leges polum solumque cum ponto regunt  
Et praecavent, ne saeva sit confusio,  
Quae perdit urbes, Martis ad certamina 35  
Obarmat animos, imperia pessum premit.  
Augustiorem reddo me licitoribus,  
Numerus volantum quos aperuit vulturum;

5

10

15

20

25

30

35

Asylo aperto, mihi Senatores creo  
 Centum, patres pietate claros et fide. 40  
 Raptis Sabinis, Iuppiter Feretrius  
 Pingues Cenini vidit excisi hostias.  
 Antemna fracta viribus cessit meis,  
 Crustuminaque Fidenaequ cum Veientibus  
 Mea ampliarunt Marte fusi moenia.  
 Deus ut mihi dedit inter indigetes locum,  
 Pompilius armis auxit urbem ac legibus.  
 Digessit annos lege, dispositus dies,  
 Patrem patratum, Fecialem maximum  
 Sacrisque legit Numa curandis viros. 45  
 Vt mira cessit pugna tergeminum virum  
 Foedumque Metii desiit spectaculum,  
 Hostilius Albae tecta fregit proximae,  
 Cuius ruinis nostra magmentum capit,  
 Dum numerus ingens duplicatur civium  
 Vrbisque domibus additur mons Coelius. 50  
 Post dives Ancus coeteris cum regibus -  
 Quibus ultimum, superba cui sunt nomina,  
 Volo remotum - nostra sacris legibus  
 Armisque clara reddiderunt moenia.  
 Libido postquam turpis exegit procul  
 Reges, potestas nova novorum consulum  
 Vrbis decus dispersit in cunctas plagas,  
 Armis et hostes exuit temerarios. 55  
 Vbi Thuscus ille Porsena suis cum viris?  
 Cocles fugavit, Mutius cum Cloelia.  
 Vbi Tarquinii ampliae sunt Superbi copiae?  
 Lacus Regillus dissipatas indicat.  
 Vbi Volsca gens rebellis? hanc acerrimus  
 Tenaxque mentis Coriolanus contudit  
 Graviter. ubi fortitudo Gallorum effera? 60  
 Domuit eorum spiritus vis Manlii,  
 Equitumque nimbos pepulit anser pervigil.  
 Quis mascula recensere poterit pectora,  
 Vrbs Romuli quae protulit ab exordio?  
 Et proferet, dum terra stabit cum polo. 70  
 Periere mundi imperia florentissima:  
 Est funditus deletus Assyria status,  
 Diadema regni Persici iacet aureum,  
 Perenne visu robur aegrum est Graeciae.  
 Romana vis perstabit aere perennior,  
 Populum et sedendo vincet adversum sibi.  
 Nulla opera, nullae opes Quiritum viribus  
 Resistere queunt aut eas infringere. 80

Humana Dii custodiunt, terrestrium Curam gerunt, nec cuncta fortunae rotat Ambigua sors fatique violens impetus.	85
Sed o malorum piae foribus est Ilias; Tibi illa, nata mea, tibi, Roma, imminet Miseranda! quantis obrueris luctibus!	90
Manus scelestas, quae rapinis et dolis Se pascit, animam everberabit Caesaris, Totum monarchae per solum mitissimi.	
Verum trucida, habebis a tergo Deos Deasque facinus vindicantes impium;	95
Votis vocatus aderit etiam Iuppiter, Tuebitur graviaque scelerum diluet.	
Haec est vicissitudo ab annis plurimis, Vt minima rerum adaugeantur plurimum Et inde lapsu maxima gravi corruant.	100

## Scena secunda

Caesar, Antonius, Cicero

Caes.	Sic est, amici: Roma nunc est totius Caput orbis.	
Ant.	orbis est caput venerabile.	
Cic.	O fortunatam natam te consule Romam! O fortunatam natam me consule Romam!	
Caes.	Quid hominibus piae caeteris innotuit,	105
	Vbi sunt adustae Solis aestivi plaga?	
Ant.	Ibi nota Roma, notus est Caesar magis: Invicto ovamus Caesari.	
Caes.	Quid terra vertice sub Lycaonio timet?	
Cic.	Romam timet, sed Caesarem gravius timet:	110
	Invicto ovamus Caesari.	
Caes.	Quis carmen illis et melos mortalibus Est, quos propinqua tingit ardens Sol face?	
Ant.	His Roma carmen, carmen est Caesar magis: Invicto ovamus Caesari.	
Caes.	Cui paret ora, qua premit lucem Tethys?	115
Cic.	Populo Quirini, at Caesar paret magis: Invicto ovamus Caesari.	
Caes.	Tellus ubi est, ubi polus est, ubi pontus est, Audita Caii fama Iulii Caesaris.	120

Ant.	Similem tibi Romana tempora nesciunt.	
Caes.	Equidem recensent corda fasti mascula: Cunctando qui restituit unus perdita, Libyum sua contrivit Hannibalem mora. Accepta qui tenuere torquis nomina Corvique, Galli contuderunt copias. Decius pater, cum filio Decius nepos Focos paternos sublevarunt sanguine. Veios fugavit et Faliscos strenue Tenellae amans Camillus adolescentiae.	125
	Papyrius acer, Cursuum nomen gerens, Ferociam compescuit Samnitium. Parvo potens Fabricius, invictus dolo, Cum laude Pyrrho fortiter bella intulit. Te, mente liber, capte Regule corpore, Feritas perennem fecit olim Punica.	130
	Vivis, dum eritque terra, vives, Scipio, Virtute cuius tunsa luges Africa Et vindicata plaga Cannarum doles. Marcelle, vives, celse, quod trieteride Syracusanae civitatis divitis	135
	Demessuisti robur ingens proelio.	140
Cic.	Viri profecto, Caesar, hi fortissimi.	
Caes.	Fortissimi? si ademeris tu Caesarem. Non lecta tibi sunt nostra commentaria, Quae bellicos inter tumultus scripsimus?	145
Cic.	Legi, relegi; tersa sunt et recta sunt Et ex tripode profecta vatis Delii.	
Caes.	Helvetiis, qua Geneva surgit, restiti Et ad Ararim illorum cecidi exercitus; Qua strage magnum vindicavi Cassium, A Tigurinis enecatum civibus. Fregi procacis Ariovisti milites, Servare vitam qui coacti lintribus Rheni fluenti liquida tranarunt vada.	150
Cic.	Haec eleganter primus enarrat liber.	155
Caes.	Quis Belgum? quis Suessiones supplices? Quis Ambianos? Atrebates et Nervios? Veromanduos bellace pugnantes manu? Quis Aduaticos, nostra quis contemtui	
	Brevitas erat nanosque dicebant ioco? Quis hosce populos vertit in celerem fugam?	160
Ant.	Caesar fuit, qui fudit omnes proelio.	
Caes.	Quis Osisinos? quis Rhodones? atque Sesuvios? Quis Antuates? cumque Veragris Venetias,	165

	Sontiates et Soldurios Sontiatum? Curiosolitas ac Vnellos?	
Ant.	Caesar hos Et Caesaris vicere cum Caesare duces.	
Caes.	Bigerriones, Praetiani, Vocates, Ausci, Garites, Cocosates, Sibutzates Et incolae totius Aquitaniae Vulneribus acti terga verterunt sua.	170
Cic.	Haec et secundus explicant et tertius.	
Caes.	Quis, obsecro, devicit Vsipetum manus? Quis bellicosos strage Tenchters dedit?	175
Cic.	Caesar itidem.	
Caes.	quis ponte strato transiit Fluenta Rheni?	
Ant.	Caesar hic primus fuit.	
Caes.	Cum bellicosa gente Suevorum ducum, Cui paria non sunt numina immortalia, Secunda gessi bella: non miramini? Britanniam, non cognitam scriptoribus, Cum classe primus qui subegit maxima, Caesar fuit.	180
Cic.	ea quartus enumerat liber.	
Caes.	Caesar fuit, qui barbaras fudit manus Vercingetorigis et Ambiorigis perfidi.	185
Cic.	Quarto haec habet posterior et sexto prior.	
Caes.	Quis Menapios cum Senonibus cumque Vbiis Avaricos devicit et Carnutios? Sequana celeris quos amne, Parisios, secat?	
Ant.	Caesar fuit, qui vicit adductos poplos Et Arimium, quo torsit in patrios lares, Sternens Senatus iussa, pila hostilia.	190
Caes.	Quis vino et artibus inclytam Massiliam Hispaniamque vicit?	
Ant.	etiam Caesar has Vicit.	
Caes.	ubi Magnus ille Pompeius gener, Me Caesarem qui ferre non poterat parem? Terra marique fusus in Pharsalia, Maduere multo cuius agri sanguine, Fugam dedit deditque lethum Aegyptiis. Quid Pharnaces? nostisne, amici, literas!	195
Cic.	Ἐγὼ ἦλθον, εἶδον, ἔνικον.	
Ant.	hae sunt literae.	
Caes.	Vbi Ptolemaeus cum Photino Aegyptius? Quid cum Catone Scipio? quid cum Iuba Bassus? quid arma filii generi mei?	200

	Hinc inde nostra dissipata iacent manu. Quis totidem, amici, stravit hostes ac duces? Provincias quis addidit tot Italiae? Vrbem quis auxit tot superbis urbibus Populisque?	205
Ant.	nemo.	
Caes.	nemo, quod Caesar sciām, Perferre potuit dexteræ fulmen meae; Sonus meam non sensit artem Iuppiter. Quidnam videtur flumen eloquii tibi?	210
Cic.	Nullius exstat flumen ingenii ullibi, Nulla eloquendi tanta vis et copia, Quae non dicam exornare, sed, sicut decet, Narrare, Caesar, res tuas gestas queat. Sive dederis mihi Periclem aut Demosthenem, Sive dederis mihi Isocratem aut Hortensium, Ingenia tantis excident p̄aeconiis.	215
Caes.	Est multitudo causa caesorum hostium.	220
Cic.	Gentes domuisti immanitate barbaras Populosque multitudine innumerabiles: Itaque ferentur bellicae laudes tuae Linguisque literisque populorum omnium, Nec, septicollis Roma dum stat, de tuis Vnquam memoria conticescet laudibus.	225
Caes.	Tιμώμενοι γὰρ πάντες ἥδονται βροτοί. <i>Honore omnes gaudent mortales.</i>	a
Cic.	Persaepe soleo mente complecti mea Omnes ducum, omnes imperatorum omnium, Ab urbe qui vixere Roma condita, Omnes potentum principum, omnes gentium Regumque res cum laude gestas cum tuis Nec proeliorum magnitudine concita Nec varietate dissimilium gentium Nec celeritate perferendi prospera Conferri ab ullo posse mortali viro.	230
Ant.	Conferre potius Palladi felem potes.	
Cic.	Neque loca citius ulla disiunctissima Potuere cuiusquam pervolari passibus, Haec quam tuis non dicere volo cursibus, Claris sed illustrata sunt victoriis.	235
Caes.	Nescit moram militia, properato est opus. Namque occupatos arma si praevenerint, Vaga tremor anceps occupat praecordia, Et, quae locis ab exteris quaerenda sunt, Vt commeatus, arma, nummi, pabula,	240
		245

	Clusis viis ab hostibus custodia, Ea pernegantur.	
Cic.	pernegantur scilicet. Multos scio, qui bellicas laudes solent Ceu fabulam deprimere verbis invidis, Detrahere ducibus et mera ex invidia Communicare cum corona militum. Et certe in armis magna virtus militum est; Auxilia socia, tum loci opportunitas, Tum commeatus et rates multum iuvant.	250
	Sed maximam quasi iure sibi tribuit suo Fortuna partem; quicquid agitur prospere Et masculine, id sibi pene totum vindicat. Verum tuae tu tibi paratae gloriae Laudisque partae neminem socium invenis.	255
	Totum tuum est, quod maximum est, totum tuum est. Nihil etenim ex hac laude centurio sibi, Nil turma, nil praefectus ullus, nil cohors Decerpit; imo illa ipsa rerum maxima Mortalium regina Fortuna in tuae	260
	Se societatem gloriae haud offert: tibi Cedit lubens, tuam esse totam perdocet.	265
Caes.	Mi Marce Tulli, patriae nostrae pater Linguaeque lumen, vera sunt, quae disseris, Et, vera ni essent, haud paterer illa exprimi, Et me locutum poeniteret propalam. Laus namque propria non meretur gratiam, Nec se sinit in os vir bonus laudarier; Et hostis acer Deus inanis gloriae est. Sed interim non conticenda est veritas,	270
	Verum palam, quae gesta sunt, fari decet, Alios ut arment nostra facta heroica. Nec omne nostris tribuo regnum viribus: Quid sit Deus, quid Imperator, me haud fugit.	275
	Suum monarchae et principes orbem regunt Dextraque frenant; sed simul sunt maximi Dei clientes: ille regum ac principum Moderatur aequa scepta dispensans manu. In proelia acies tardus aeratas trahes,	280
	Nisi superorum rector et domitor tuis Aspiret ausis. ille prostratam solo Vrbem ruinae mole tegit, ille ocyus Fumo superbam eliminat gentem levi;	285
	Huius potenti brachio nos vicimus, Quos vicimus. bonos sagitta missili Parthos Iove duce et Marte fundemus brevi,	290

Metalla Crasso graviter ulturi data. Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρῆ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν; τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. <i>Iniusta si patranda sunt, propter regnum ea patrare Optimum est; in reliquis pietatem exercere licet.</i>	293a 294a
---	--------------

### Scena tertia

M. Brutus, D. Brutus, Cassius, Trebonius, Casca, Cimber, Domitius,  
Cinna, Ligarius, Aquila, Turullius, Drusus, Caesar

M. Br.	Auguste Caesar, patriae clemens pater!	295
D. Br.	O domitor orbis, patriae princeps tuae!	
Cas.	Diis genite princeps, nomen ab Iulo trahens!	
Tre.	O Imperator semper optime maxime, Divisa cuius imperia sunt cum Iove!	
Caes.	Quae vestra sunt petita?	
M. Br.	culpam, quaesumus,	300
	Remitte culpam, magne Caesar, quaesumus.	
Caes.	Nunc, eia, magnum nominatis Caesarem, Saevum tyrannum quem vocasti perperam.	
M. Br.	Fatetur, o monarcha rerum praepotens, Fuisse nos in proelio Pharsalico,	305
	Qui sanguinem vitamque petierunt tuam.	
	Fatetur, et nunc criminis nos poenitet.	
	Quem poenitet peccasse, pene est innocens.	
D. Br.	Lacrymis agendum est: supplices, Caesar, vides,	
	Hae te precantur pedibus injectae manus.	310
Aqu.	Benigne Caesar, quicquid irarum fuit, Transierit. ex hoc foedus ac pietas die Colantur, animis odia damnata excidant.	
Tre.	Ponatur omnis ira, et ex animo tumor Erasus beat.	
Cas.	spiritus dum corpori	315
	Vitalis inherit, gratias pangam tuas.	
Ci.	Miserere, Caesar!	
Dom.	restitue lapsos, precor,	
	In gratiam atque dignitatem pristinam.	
Con. Om.	Erimus ministri corporis sancti tui.	
Caes.	Si, Marce Brute tuque Cassi et caeteri, Quoscunque coram veste cerno lugubri, Ex iure parti victor agerem proelii,	320

Mors certa vos maneret omnes; nam necis Vitaeque ius in vestra venit corpora. Sed omnibus quia corda sunt clementia, Quicunque stirpe Caesarum sunt editi, Semperque fidos vos mihi spero fore, Me flamma amoris egit in clementiam: Sopita sint, quae facta sunt Pharsaliae.	325
M. Br. Dignum tabellis facinus incidi aereis!	330
Caes. Tibi, Marce Brute, matris ob Serviliae Praeclara iungor facta Thesea fide: Tibi cis Alpes obtinebis Galliam; Sed nunc, ab urbe quae tenet nomen suum, Praetura tibi conceditur cum Cassio,	335
Quae dignitate antistat aliis omnibus. In posterum te, Brute, faciam consulem, Tibi Cassius collega designabitur. Te, qui meus legatus olim in Galliis, Glasto Britannos illitos cum fuderim,	340
Ad consulatus iterum honores eveho. Sic caeteris urbana didam munia, Equitum magistros deligam, plebis sacros Faciam tribunos, consules et flamines, Clementia ut spargatur undique Caesaris.	345
M. Br. Dii paria, Caesar, pretia pro tantis tibi Meritis rependant.	
D. Br. Dii diu te protegant.	
Cas. Toti tui erimus, Caesar Augustissime.	
Tre. Tui salutem corporis tutabimur.	
Cas. Si te tuumque, Caesar, animum fallimus,	350
Sint nostra non leviora Troianis malis.	
Cim. Ego perditus de monte Tarpeio ruam.	
Dom. Ego dira magnis esca nabo piscibus.	
Lig. Propriusque iugulo gladius haerebit meo.	
Ci. Meo voraces rostra sua tingent lupi.	355
Aqu. Pondus ego volvam Sisyphi revolubile.	
Tu. Latus meum Megaera scindet perfidum.	
Dr. Alter volucri rapiar Ixion rota.	
Con. Om. Si te tuumque, Caesar, animum fallimus, Ita nos bonis et opibus eiiciat Deus	360
Vitasque nostras, urbe salva ac incolis, Vt hosce lapides iacimus.	
Caes. est factum satis. Iam praestitam perpendite fidem. nam gravi Deus catena vindicat periuria.	

## Scena quarta

Cicero, Caesar

- |       |  |          |
|-------|--|----------|
| Cic.  | Certe parietes atque tabulae Curiae<br>Tibi maximas referre grates gestiunt,<br>Invicte Caesar, hosce dum reddis suis<br>Tuaque non abuteris victoria.   | 365      |
| Caes. | 'Αθάνατον ἔχθραν μὴ φυλάττω, θνητὸς ὁν.<br><i>Immortalem inimicitiam non retineo, mortalis existens.</i><br>Cum posuit hostis arma, victorem decet<br>Odia et feroce impetus deponere.   | a<br>370 |
| Cic.  | In principe bono rara mentis lenitas.  |          |
| Caes. | In principe bono clara virtutis nota<br>Clementia est et parcere suis hostibus.<br>Punit is inique, qui nimis punit reos.<br>Saevi leones, quae impulerunt, transeunt;<br>Ignobiles sunt pertinaces bestiae.<br>Clementiam qui postulant a Caesare,<br>Mox Caesar illis exhibet clementiam;<br>Vitamque servat civium, prohibet necem.   | 375      |
| Cic.  | Cum laude vidimus tuam victoriam,<br>Quae proeliorum terminata est exitu;<br>In urbe cives ante quos amisimus,<br>Hos perculit vis Martis, haud victoriae.<br>Tu reddidisti fratribus Ligarium,<br>Tu reddidisti Curiae amissum diu<br>Suisque Marcellum et viros fortissimos.<br>Tu me meis, tu reddidisti me foro;<br>Tu protulisti in proelio vocem auream,<br>Raram novamque: ‘PARCE MILES CIVIBVS.’ | 385      |
|       | Animum, monarcha celste, vicisti tuum;<br>Qui vincit animum et cohibet iracundiam,<br>Hunc ego similimum iudico magno Deo.   | 390      |
| Caes. | Haec summa virtus, petitur hac coelum via.   |          |

## Scena quinta

Cicero, Caesar, Ambiorix, Cavarilla

Cic.	Nam quid ea prodit insolita mortalium Species? an homines sunt? an ex Stygia domo? Heu fugite, fugite! Caesar, heu fuge; si fugis, Ride.	395
Caes.	mane. quo, Marce, te portas? mane.	
Cic.	Quid? egone maneam, Stygia cui cum cornibus Contisque longis turba iam nunc imminet?	400
Caes.	Mane, obsecro; nil est pericli.	
Cic.	nil?	
Caes.	puta, Homines vides.	
Cic.	sed, quaeso, qui sint, ocyus Deprome, Caesar.	
Caes.	tute, qui sint, excute; Mitia tibi responsa, ne dubites, ferent.	
Cic.	Horrendus animum invasit attonitum pavor, Quasi inter arma dicerem causam Annii, Massiliae pisces qui edit barbatulos.	405
Amb.	Heus, vos mei homines, qui estis? aut quo tenditis? Die Theutischen Liutor, Cundrigi, Wirthmar, eend ale mannem ambacht	410
	Thie gwerre, Caesar bittisa gebenio Marche, kovel, rhedecfaha, si perdriter, Karren, tho galleno int' Allemannien Ham eend huysen, Theuta Oonse int	
	Thie hemelisa, det Romersstzke rigkhia Eend mande, eend quinde, eend merche, So de grisgamse eend gwverre clusio.	415
Cic.	O Iuppiter, portenta quae linguae evomunt! Satius profecto est esse mutum quam loqui, Quod nemo recte intelligat.	
Caes.	sed quos, cedo Mi Marce, reris hosce?	420
Cic.	Germanos reor.	
Caes.	Tetigisti acu?	
Cic.	nam saepe memorasti mihi, Quam sint agrestes, simplices et barbari. De moribus, mi Caesar, horum dissere. Sed quid ea mulier vapulat?	

Caes.	ni fallor, haec Adultera est, mi Cicero, tecto expellitur.	425
Cav.	O Alrun’, Alrun’ helpio!	
Amb.	helrun thie quade!	
	Ant quere mann so halgen truvv standt sussimy!	
Ger.	Schlavette, schlavette! pu! pu thuro, thuro!	
Caes.	Hac puniunt, mi Cicero, poena, quas toro Laeso nefandos petere concubitus iuvat. Coram suis maritus accedit pilos, Dein per omnia verbere et virgis lupam Compita agit, usque dum anima polluta evolat.	430
Cic.	O tempora! o mores nefandos! hac die Iterata mundo saepius sunt risui Adulterorum furta; leviter pellices Adulterosque Deo execrandos plectimus. Furtis tori foecunda culpae secula Totas domosque genusque generosum inquinant, Quo fonte derivata clades in domos, In patriam populumque seductum fluit. Atque ecce, quam robusta torquent verbera!	435
Caes.	Hoc, Marce Tulli, tibi velim persuadeas, Vllo sub orbe castius non vivitur, In simplici quam vivitur Germania, Quamvis amicti vestibus paucissimis.	445
Cic.	Ibi non habebunt Romuli leges locum: Quicunque mas a femina se passus est Nudum videri, capit is hic esto reus.	450
Caes.	Minime reor, nam Romulum illi nesciunt. Coniugia sera; sacra lex apti tori, Eadem iuventa, proceritas similis; pares Similesque facta sanciunt connubia.	
Cic.	Aequalitas spectanda coniugibus venit, Coniunctio impar esse concors non potest.	455
Caes.	Mortalium nemo ante Germanos fide est: Dare verba mollia nesciunt; quin libere et Simpliciter aequo iure vivunt cum omnibus Armisque violari hospites fas non putant. His omnium aedes publicae, hos sanctos habent;	
	Si quid abiens deposcis, id conceditur.	
Cic.	Xρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν. <i>Oportet hospitem praesentem honorare, volentem discedere dimittere.</i>	a
Caes.	Spelunca parvas parva disponit domos; Iunctaeque virgae cortice et densi vepres, Congesta passim robora advolvunt focis Vlmosque totas, arbores et pineas.	465

Cic.	Turbam gigantum tu mihi depraedicas.	
Caes.	Corpus caloris et gelu patiens habent. Vt bella gessi in Gallia contermina, Non subierant per tria domos quinquennia.	470
Cic.	Hominum fidem! sed perge tu, quo ceperas.	
Caes.	Apparet illic magnitudo corporum; Severa facies, sermo trux ac horridus, Nec vultus horum nec acies quit lumen Ferri.	475
Cic.	profecto vultus effata indicat.	
Caes.	Capto Vesontione Sequanorum oppido, Tantus meos timor occupavit milites, Ad nomen ut perterriti sint Teutonum.	
Cic.	Fortasse capita praebuerunt Gorgonum.	480
Caes.	Certe tulerunt nulla cornua Gorgones, Vt hi, nec hirtis terruerunt pellibus. Capiunt cibum, sed separati singuli; Vros sagittis insequuntur per nemus, Lucum Suevi quem vocant Hercinium.	485
	Omnesque nandi sunt periti maxime Et in cibo potuque sunt parcissimi.	
Cic.	Nonne bibuli piae caeteris sunt Teutones?	
Caes.	Quo non bibendi cessit ardor diditus? Quid Graeca gens? non strenue graecarier Solet? quid ille barbarus mos Thraciae? Natis in usum gaudii pugnant scyphis. Quis Persicos non apparatus audiit?	490
	Sybaritiae quo fama non venit dapis? Bibunt Falernum, Coecubum Ausonii bibunt, Potiora coenis vina Pontificum bibunt. Nardo peruncti et rore stillant myrrheo, Dacnada saepe crine pungentem alligant Totamque mentem in plena mergunt pocula,	495
	Vt et tribunal et pavimentum mero Tingant.	500
Cic.	in Hippiae illa vidi nuptiis. Domesticum - proh dolor! - ad exemplum vocor, Tergilla binis quod notavit congiis.	
Caes.	Frugalitas, mi Marce, mihi Germania est: Vino parent et mercibus caris parent. Namque ad labores perferendos mercibus Dulcique vino effaeminari animos putant. Excussa in agris poma compescunt famem, Et fraga humilibus vulsa dumetis cibos Faciles ministrant; lacte vescuntur quoque	505
		510

	Et carne, milio vicitant atque hordeo; Ex hordeo milioque potum sibi coquunt.	
Cic.	Libenter isthaec, Caesar, attendi et tibi Hoc pro labore gratias ago maximas.	
Caes.	Non est, quod illas, Cicero, solvas gratias. Auxilia mea pete promta: quae possum, feres. Sed vos, in urbe qui fuistis iam diu, Specimina quaedam proelii vestri date.	515
Amb.	Parl' Alleman, o Caesar, hett bacht serssino.	
Caes.	Hercinia decies silva nivibus canuit, Et flava decies falce decubuit Ceres, Vt bella gessi in Gallia et conterminis Regionibus terrisque, sed linguas eas Addiscere haud potui; omnis incassum labor. Thiegserre Theutzison.	520
Amb.	gwverre qhem barit!	
Caes.	Quid sic stupescis, Cicero? quo mihi cursitas?	
Cic.	Ah, pereo!	
Caes.	semper, Marce, plus iusto times.	
Cic.	Praeoccupat ita animum timor meum, uti prope Attonitus astem.	
Caes.	collige animum nec time.	
Cic.	Quid iste sibi vult clamor?	
Caes.	ululatum hunc ferum Lingua sua vocare blarritum solent; Quo carmine atque flebili armorum sono Pertriste cupidi Martis accendunt opus, Animos suorum territantes hostium. Conflate vos et buccina et litui sono, Canora celeri tympana quatite verbere.	530
Cic.	Mirabile istud, Caesar, est pugnae genus.	
Caes.	Quod si videres, Marce, totum exercitum, Mirabilem tum dices. nam ceu vides, Immane torquent tegmen Hercinii lupi Setaeque pexum et dentibus cum candidis Terribile visu vertici imponunt suo. Etiam leonum et piscium exuvias gerunt.	535
Cic.	Vrique.	
Caes.	libros arborum quidam legunt, Quidam boum cum cornibus deformibus, Caudis pilosis ac aduncis unguibus Et caprearum sibi cooptant tergora. Sunt tela trunci, galea fit de pellibus; Oblonga vibrant scuta, totam quae tegunt Hominis staturam, gladius ibi rara est avis, Spathasque gestant ad latus dextrum graves.	540
		545
		550

- Cic. Vix ista quatiat arma centimanus gigas,  
Qui olim praealtum imposuit Ossae Pelion.
- Caes. Sed varia specta, Marce mi, certamina.
- Cic. Dum verba facimus, specto, mi Caesar, lubens; 555  
Insolita namque contuor spectacula.
- Caes. Hic esto finis proelii et certaminis  
Lususque, silva quem docet Germania;  
Perpetua namque silva recte dicitur.  
Cessate tandem, pavimus sat lumina,  
Cessate nunc. 560
- Cic. cessare non intelligunt.
- Caes. Dirimite ludum; nesciunt finem rudes.  
Nunc pompa, nostris quae triumphis accinet  
Paeana laetum, properat instanti gradu.  
Sed quid sibi augustalis ille apparitor? 565

## &lt;Apparitor&gt;

- App. Auguste Caesar, Domine clementissime,  
Novos honores Roma decrevit tibi  
Coramque iussit plebe pro rostris legi.
- Caes. Quaecunque crevit ordo lectus, perfice.
- App. Senatus, Equitum ordo atque plebs Quiritium 570  
Invicto honores hosce crevit Caesari:  
Caesar quod arma gesserit pro patria,  
Quod liberam nunc fecerit Rempublicam,  
Vrbes quod urbi adiecerit clarissimas,  
Sella curuli sedeat et celso throno,  
Sedere reges et monarchae quo solent; 575  
Vestes triumphis usitatas induat,  
Capite coronam ubique gestet lauream,  
Pater vocetur patriae.

## Chorus canens

- Cho. *Salve Caesar! patriae pater!* 580  
*Iubila Roma! patriae pater Caesar salutatur!*
- App. Senatus, Equitum ordo atque plebs Quiritium  
Statuit honores hosce patri patriae:  
Signator aes quodcunque imagine Caesaris,  
In omnibus ei statua ponitor aedibus  
Eique templum conditor concordiae;  
Dictator esto et censor ad vitae exitum. 585

## Chorus canens

Cho. *Salve Caesar! patriae censor!*  
*Iubila Roma! patriae censor Caesar salutatur!*

App. Senatus, Equitum ordo atque plebs Quiritium  
 Censori honores hosce crevit Caesari:  
 Vt Iulia illi collocetur Curia,  
 Ei tribus cognominetur Iulia,  
 Ei parentur festa quinquennalia;  
 Qui Quintus est a Martio mensis, suum  
 Eius in honorem nomen habeat Iulii.  
 Clemens vocetur Imperator, Rex pius  
 Et sacrosanctus Iuppiter.

590

595

## Chorus canens

Cho. *Salve Caesar! Iuppiter alme!*  
*Iubila Roma! dicitur primus Caesar Imperator!*

App. Senatus, Equitum ordo atque plebs Quiritium  
 Hos primo honores Imperatori tulit:  
 Sacrilegus esto, Caesarem qui laeserit;  
 Pro eius salute vota faciant singuli,  
 Iurent per eius nomen et vitam et caput;  
 Quaecumque Caesar mandat, habeantur rata.

600

605

## Chorus canens

Cho. *Plaude Roma! victus est orbis,*  
*Romanas aquilas timet orbis!*  
*Orbem Caesar reddidit urbi.*  
*Pacem Caesar reddidit orbi.*  
*Salve Caesar! clare triumphis!*

610

## Actus secundus

### Scena prima

Porcia, M. Brutus

- Por. Vxor Tonantis et soror Saturnia,  
Quid, quaeso, gravium mole curarum obrutus  
Meus agitatur Brutus? heu! sive ambulet  
Sive sedeat sive vigilet seu dormiat, 615  
Insueta mentem rodit anxietas gravem.  
Sed ecce, lupus in fabula! tristis iterum.
- M. Br. Quocunque gressus pono, ponit eos metus.  
Nullus fere est peritus in Sapientia,  
Quem non ad unguem mea didicit industria; 620  
Et nulla secta est Philosophorum de grege,  
Quam non ad usque coronidem totam imbibi.  
Sed nulla eorum pascit animum turbidum,  
Nec ipsa, quae Platona divinum refert.  
Critona, Philebum et Menoëm perlego, 625  
Pervolvo fratres fratribus cum coeteris  
De legibus. sed lecta celeriter avolant;  
Adeo novum illud incutit formidinem  
Facinus, et animum distrahens cura anxium  
Partes in omnes memoriam turbat loco. 630  
Metum foris dissimulo, curas suprimo  
Et cuncta, quae tranquilla sunt, prae me fero.  
At interim varios colores induo  
Noctu domique et vereor, ut mea Porcia,  
Prudentiae virique studiosissima, 635  
Vulpem latentem in mente perplexa occupet.
- Por. Huc, mi oculē Brute?
- M. Br. quid expetis, mea Porcia,  
Horsum gradu quae tacita suspenso venis?
- Por. Vnum expeto, mi Brute!
- M. Br. quodnam illud cedo!
- Por. Effare, quaenam cura mentem concoquat  
Tuam dolorque? 640
- M. Br. meamne mentem concoquant  
Cura et dolor?
- Por. cura et dolor.
- M. Br. nullus dolor
- Et nulla cura.
- Por. coniugem celas tuam?

- M. Br. Nil celo nec animum habeo, quod celem tuum.  
 Por. Fidemne facies? tristior solito ambulas. 645  
 M. Br. Iam laetor, ecce, laetor usque, o Porcia,  
       Donec tuis datur fruier amplexibus.  
 Por. Quid igitur istud, corde quod presso gemis?  
 M. Br. Sollicita nimium mulierum gemo pectora.  
 Por. Sollicita debet esse mulier pro viro. 650  
 M. Br. Pro quolibet?  
 Por. abige ioca. pro socio tori.  
       Quin unico dic verbulo!  
 M. Br. quid vis tibi  
       Dicam?  
 Por. quod ego rogo.  
 M. Br. quid rogas?  
 Por. quod iam sciam.  
 M. Br. Quid iam scias?  
 Por. animum inquietat quod tuum.  
 M. Br. Animum inquietat quid meum?  
 Por. quin desine. 655  
       Mi Brute, tandem ubi dixeris, cognovero.  
 M. Br. Mea Porcia! meum corculum!  
 Por. quid, Brute mi?  
 M. Br. Mea vita!  
 Por. quid, mi Brute?  
 M. Br. quid? dolor anxifer!  
 Por. Mihi dolor eximetur, age! quin innuis?  
 M. Br. Ως γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι,  
       Ζώειν ἀχνυμένους; ἀντοί δε τ' ἀδηκέες εἰσί. 660  
       *Sic destinarunt Dii miseris mortalibus,*  
       *Vt vivant tristes; ipsi vero sine cura sunt.* 660a  
 Por. Eloquere, mi vir, qui molestet te dolor?  
 M. Br. Non omnis est spargendus in vulgum dolor.  
 Por. Inclusus artus strangulat, cor aestuat.  
 M. Br. Secreta mentis nemo sanus detegit. 665  
 Por. Adeone, Marce, noster amor eviluit?  
 M. Br. Taceo; tacentem certa comitatur salus.  
 Por. Annon Amyclas perdidit taciturnitas?  
       Per Junium, mi Brute, Brutum te precor,  
       Effare; fido pectore arcana occulam. 670  
 M. Br. Alium silere quod voles, primus sile.  
 Por. Aures tacentes coniugis metuis tuae?  
 M. Br. Multae in loquendo et garrulae sunt foeminae.  
 Por. Sunt ranae in undis garrulae, non foeminae.  
 M. Br. Amica amicae dum retegit, omnes sciunt. 675  
 Por. Tacebo veluti quercus ac durus lapis.

- M. Br. Fac lapide te taciturniorem ac arbore;  
Ad quaestionem tracta, perfluis undique.  
Por. Hoc istud est pomum Eridos? illa haec Tyndaris?  
O Brute mi! hem!
- M. Br. quid illud? heu, mea Porcia. 680  
Heus! ocyus quis, advocate hic clinicum!  
Por. Ne clinicum vocate.
- M. Br. deliciae meae!  
Cur tam profundum vulnus infligis tibi?  
Sine, obligem.
- Por. ne feceris.
- M. Br. nequeo tuum  
Videre praesens sanguinem: horret animus. 685  
Et ni loquare, concidam.
- Por. ne concidas,  
Hoc te crurore reficio.
- M. Br. quin edoces?  
Por. Ego, Marce Brute, tibi Catonis filia,  
Nuptum tibi data sum.
- M. Br. teneo.  
Por. non pellicis 690  
Vt more tantum particeps essem tori,  
Mensae atque rerum prospere fluentium,  
Sed omnis etiam sortis adversae, suo  
Quam ferre debent cum marito coniuges.  
Certe bonum est commune, commune est malum:  
Officit utrius, quicquid alterutri malo est; 695  
Perplacet utrius, quicquid alterutri bono est.  
Si te dolor debilitat, uxor te tua  
Hortatur, auxiliatur et solatur et  
Fatur; ministrat, excubat, iuvat, allevat.  
Si coniugis dolor edit animum luctifer,
- M. Br. O foeminae, sententiae huic subscribite;  
Te digna, coniux, loquere. 700  
Praestare debet officia vir mutua.
- Por. te quantum attinet,  
Nil plane in hoc reprendo matrimonio.  
Gracchus mihi esses, ego tibi Cornelia.  
Sed ego tibi, marite, qua re animum meum  
Monstrabo rursus? quamve referam gratiam,  
Ni in preferendo dolore, ni in moeroribus  
Taciturnitatem cum fide poscentibus  
Comitemque sociamque tibi me addidero lubens? 710  
Non, Brute mi, marite mi, sum nescia  
Naturam haberis muliebrem a cunctis viris  
Pro languida, pro debili, pro garrula,

- Quaeque reticenda non sit arcana diu.  
 Sed o profecto, Brute mi, multum facit  
 Ad comitatis decora moresque optimos  
 Primis ab annis educatio commoda  
 Et cum probis castisque conversatio.
- M. Br. Nam cum improbis commercium facit improbos  
 Cumque optimis commercium facit optimos.
- Por. Mihi, mihi hoc accessit, o mea suavitas,  
 Quod et Catonis illius sum filia,  
 Sapientiae qui nomen a nomine gerit;  
 Mei parentis proavus orator fuit  
 Optimus et Imperator optimus, optimus  
 Itidem Senator; et quod uxor sum tua,  
 Mi Marce Brute, gloria clarissime.  
 Quibus omnibus cum fiderem minus antea,  
 Nunc a dolore video me insuperabilem.  
 Proinde fare, Brute, quid deliberas?
- Tormenta nulla, nulla tanta est quaestio,  
 Quae possit extorquere mihi concredita.  
 Sum ferre praesto, inferre, quae poterit manus.
- M. Br. O Iuppiter! da, rebus ut gestis bene  
 Dignus maritus Porcia inveniar mea.
- Por. Quae res gerenda?
- M. Br. Caesari insidias struo,  
 Paucis habes.
- Por. tu Caesari lethum inferes?
- M. Br. Decrevit animus.
- Por. Iuppiter te roboret.
- M. Br. Reconde dicta et vale.
- Por. vale, memorem mones:  
 Agenoriam Harpocratemque, Dii faxint, agam.

## Scena secunda

Calpurnia, Hortensia

- Cal. Vos, cuncta quae potestis, almae virgines,  
 Cum vivido igni quae potestis parvulo  
 Naves movere cingulo, ceu Claudia,  
 Portare cribro flumen, ut pia Tuccia:  
 Altare sacris destinatum, ceu decet,  
 Instruite rebus; tu sequere me, Hortensia.

- Hor. Coram Lydorum Rege sapientum Solon  
Princeps beatum praedicat Tellum virum;  
Coramque eodem ad alta coelorum evehit  
Bitona, fratre cum Cleobi, more equi  
Matrem trahentes essedo ad fani sacrum. 750
- Cal. Quo tendit haec oratio, mea Hortensia,  
Edocta Graecis et Latinis literis.
- Hor. Quo tendat haec, mox audies.
- Cal. certe audiam.
- Hor. Aetate nostra si Solon is viveret ... 755
- Cal. Quid tum, mea soror?
- Hor. audi.
- Cal. et hoc certe audiam.
- Hor. Solon beatam diceret Calpurniam  
Prae caeteris vel caeteris adiungeret.
- Cal. Non per Minervae sacra queo, quin rideam.  
Sed me beatam, foemina o clarissima, 760  
Cur somnias?
- Hor. ne somnium mihi dixeris,  
Quae vera sunt.
- Cal. qui vera sint, fare, obsecro.
- Hor. Prognata vere regio de semine.
- Cal. Ergo beatus nemo, cui tenue est genus?
- Hor. Habes virum ex animi tui sententia,  
Quiritium totius imperii caput. 765
- Fidum mulieri coniugem raro invenis.
- Cal. Habeo mihi que de viro illo gratulor.
- Hor. Temet profecto filiam Alcinoi puto,  
Cui tot precatus est Vlysses prospera:
- Σοὶ δὲ Θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῆσι μεμο<ι>νάς:  
Ἄνδρα τε καὶ οἶκον καὶ όμοφροσύνην ὄπάσειαν  
Ἐσθλήν. 770
- Tibi Dii tanta dent, quanta animo tuo cupis:*  
*Virum et familiam et concordiam praebeant bonam.*
- Cal. profecto, qui beati sint, latet,  
Hortensia, tibi nec Solonem intelligis.
- Hor. Mihi ergo tu dic illud, uxor Caesaris. 775
- Cal. Si quis diem quoque obierit recte suum, is  
Dignus, beati qui vocetur nomine.  
Prius tamen quam fata senserit ultima,  
Nullo modo beatus appellandus est.
- Omnis rei notare debes exitum, 780  
Casura quo sit; nam Deus multos, quibus  
Concessit ampla, saepe vertit funditus.  
Si me priorem Parca traheret Caesare,  
Omnis beatam turba memet diceret.

Hor.	Ne optaveris, quae optanda nequicquam tibi.	785
Cal.	Hortensia, decus mulieris facundiae, Tot fluctibus non credo decumanis mare Tolli et procellis, quot torum viduum undique Nunc corporis, nunc mentis exagitant mala.	
	Donec maritus sospes est et vitam agit, Coniux mariti fertur oculis omnium; Sed ut maritus, unica vitae anchora Vitaeque fulcrum, abivit in tristes rogos,	790
	Nae, vel Iocasta vel Clytemnestra et pia Hecuba miserior vivit uxor postuma, Neque Lucifer neque Luna neque Solis iubar Illuxit infeliciorem foeminam.	
Hor.	Aetate tuus in florida Caesar viget Succique plenus multa vivet secula.	
	Hunc igitur audax exime animo scrupulum. Secunda spero cuncta.	800
Cal.		
Hor.		
	sed nunc tempus est, Deabus ut legitima faciamus sacra.	
Cal.	Faxint Deae, tutela quis urbis data, Vt, quicquid adversi imminet, quod cor mihi Praesagit, omne id trans fretum Boreas ferat.	
	Dea bonitatis, quae bona geris nomina, Dea Vesta, cuius hic tuae sunt virgines, Anna o Perenna, amni perenni abscondita: Meum maritum Caesarem defendite	805
	Reique longum tegite salvum publicae. Si precibus his annuitis, age, signum date Rapida<e>que misso coelitus flamma<e> globo Hos victimarum flosculos absumite. Eheu! quid hoc?	
Hor.	hoc omen est scaevum.	
Cal.	polo	
	Nulla Deaflammam mittit.	
Hor.	eheu!	
Cal.	quid querar?	815
	Nulla annuere vult Domina.	
Hor.	dirum urbi imminet.	
Cal.	Mihi imminet vel, quod timeo, Caio imminet. Age, age mea soror, vota nunc contraria Fundamque precesque.	
	vota quae?	
Hor.		
Cal.	contraria.	
	Dea bonitatis, quae bona geris nomina, Dea Vesta, cuius hic tuae sunt virgines, Anna o Perenna, amni perenni abscondita:	820

	Meum maritum Caesarem defendite Reique longum tegite salvum publicae. Si precibus his annuere pietas non sinit, Si Caesari sors imminet nubila, agite, Signum date polo! precibus his moveamini Rapidaeque misso coelitus flammae globo Hos victimarum flosculos absumite.	825
Hor.	Veneranda Vesta! quam celeriter lapsus est Hic ignis!	830
Cal.	ah! ad vota non bona decidit! O spes inanes! o pericla instantia! O fata nostris, fata mala cervicibus Minitantia! o quis ferre opem miserae mihi? Nunc occidi! nec ulla spes miserae mihi	835
	Salutis est super. unda vultus obruet, Animaequae moestae triste fluctus oppriment.	
Hor.	Ne prorsus animum Domina mea despondeat; His forsitan Deabus iratis favet Tibi supremus Iuppiter. nam saepius Numine premente numen aliud fert opem:	840
	In Troiam Vulcanus, at pro Troia Apollo stabat; aequa Troiugenis Venus, Iniqua Pallas. odit Aeneam pium Lucina, propior Daunio heroi fuit;	
	Tamen ille tutus Veneris ivit numine. Saepius Vlyssem petiit aequoreus Deus, Eripuit hunc Minerva patruo saepius. Quis et tibi, Deabus iratis tribus,	845
	Adesse numen bene favens non dixerit?	
Cal.	Audire nequeo plura. convenientus est, Nostrum decus columenque, Caesar Iulius.	850

### Scena tertia

Cassius, D. Brutus, M. Brutus, Trebonius, Casca, Cimber,  
Domitius, Cinna, Aquila, Ligarius, Turullius, Drusus

Cass.	Laetare, Cassi: caedis artifices habes; Laetare: ferro, nisi Acheron prohibet, cadet Pater ille patriae. scilicet! pestis cadet. Et dira Erynnis patriae afflictæ cadet.	855
-------	---	-----

D. Br.	Ignave, iners, enervis et, quod maximum est, Inulte Cassi.	
Cass.	quis ita iactat Cassium?	
D. Br.	Hem! Brutus est!	
Cass.	quid illud, age, clamoris est?	
D. Br.	Iras profecto questibus vanis agis.	860
Cass.	Credo, quia manus Caesarem necdum ferit.	
D. Br.	Nunc ergo, amici, tempus imminet ultimum: Quae vestra mens de Caesare?	
Treb.	perimendus est.	
Casc.	Perimendus est.	
Cim.	perimendus est.	
Dom.	perimendus est.	
D. Br.	Quid, Marce frater, facinoris num poenitet?	865
M. Br.	Varius subinde me aestus incertum rapit, Vt, saeva saevus bella cum gerit Africus, Vtrinque fluctus maria discordes agunt; Montes truci volvuntur undarum salo, Vt astra coelo celsa tacturos putes. Haud al <i>&lt; i&gt;</i> ter, o corona amicorum, meum Cor fluctuatur.	
Cass.	causa quae mutat animum?	
M. Br.	Me fama nostri terret adversa populi.	
Cass.	Contemne famam, fama nil vero favet.	
Treb.	Haec fama nostrum nomen aequabit polo.	875
M. Br.	Quis tollere virum poterit, emeritum bene De publica Re deque nobis omnibus?	
Cinn.	Monstrum hominis est Reique latro publicae. Quod enim reliquit crimen intactum? aut ubi Sceleri pepercit? specimen antiqui fori Fraude est adeptus, fraude nil non implicat.	880
Aqu.	Quam multa Gallis movit ac Helvetiis, Trebocis, Nemetibus, Rauracis, Vangionibus, Aliis, Senatus iussa contra et literas?	
Lig.	Sequitur amores Cleopatrae meretricios Eique regna dividit Canopica.	885
Tur.	Cneum interemit Marte Pompeium impio, Tutum putans nunc, cive caeso nobili, Bonus esse sacer.	
Treb.	occidit in spectaculis	
	Saepe innocentes et probos, vitae integros.	890
Dru.	Contra Metellum clepsit aerarii bona Et inde acervos abstulit magnos opum.	
D. Br.	Amore tituli tangitur vano nimis; Nam statua posita stat in Pyrenis montibus.	
Cass.	Primum sibi locum asscribit in consessibus.	895

Treb.	Mavult vocari primus in parvo oppido, Quam in patria secundus; ita titulos sitit.	
Casc.	Dictator et tribunus et censor populi Et consul omnes audit in vitae dies.	
Cim.	Nomen superbum liberatoris gerit.	900
Dom.	Titulum - o scelus! - honoresque surripuit Iovi.	
Cinn.	Per fas nefasque magna corrasit bona.	
Aqu.	Provincias compilat uti Salustius.	
Tur.	Suis obedit ducibus haec iactantibus: Si, recta quae sunt, feceris, plectere; si Male egeris, caput eris imperii sacrum.	905
Lig.	Sumtus graves profundit in spectaculis.	
Dru.	Vestem triumphis praebitam semper gerit.	
D. Br.	Semper et ubique decora gestat laureae.	
Cass.	Malecinctus omnem per voluptatem ambulat.	910
Treb.	Novus Imperator more non solito venit.	
Casc.	Omnis potestas pedibus eius subiacet.	
Cim.	Vbique non cuniculis, sed machinis Oppugnat et pessundat hanc Rempublicam.	
Dom.	Eius statua mox debet a thenna vehi.	915
Cinn.	Eius in honorem Romuli in fano Dei Posita est imago hoc nomine: 'invicto Deo'.	
Aqu.	Stat statua statuam proxime Bruti senis Interque Reges.	
Lig.	consules modo subrogat, Modo removet, qui somnii parcissimi.	920
Tur.	Quoscunque vult, amplissimo inserit ordini.	
Dru.	Plerosque Sphinge argentea mittit reos.	
D. Br.	Augusta loca profanaque hastae subiicit.	
Cass.	Vertit domos et templa molitur sacra.	
Treb.	Sacro tribunos igitur amovit loco, Statuae coronam detrahentes regiam.	925
Casc.	Non amplius vult surgere Senatoribus Inflatus ille venter; at tamen impius Tetrumque male olidumque profluviu parat.	
Cass.	Quid, Brute; nonne haec vera sunt?	
M. Br.	verissima. At scis?	930
Cass.	quid illud?	
M. Br.	nuper et vitam mihi Dedit et honores, tibi dedit, dedit omnibus.	
Cass.	Sed plura longe nostra nobis patria Dedit, huic igitur et plura debemus bona.	
M. Br.	Quodcunque dicis, certa me pietas movet.	935
Cass.	Excede pietas, si modo nostra in domo Vnquam fuisti; dira Furiarum cohors	

	Veniat ab imo Tartari fundo excita. Adeste, adeste sceleris autores Deae, Adeste celeres: non satis magno meum Ardet furore pectus.	940
Treb.	<i>hui! Brute, excita</i> Te, Brute! utinam ille Brutus viveret!	
Cim.	Putasne, praetor Brute, an ab olitoribus Et non potius a nobilibus illa omnia Crebris tuum ad tribunal adscribi notis: ‘Heus Brute, dormis? anne Brutum te esse scis? O Brute! Bruto egemus, expergiscere!’	945
Dom.	Putasne, Brute praetor, a mulierculis Hinc inde dispergi libellos supplices Et non potius a principibus urbis viris, Te vindicem patriae tuae cupientibus?	950
Cinn.	Quod sit tyrannus, nemo facile pernegat; Nec dubito, quin, si propter haec felicia, Quae contigerunt Caesari, tutum bonis Esset viris priva illa de illo scribere, Quae sentiunt, proinde de illo scribebant, Quae de furore Catilinae pessimi: Quo Caesar hic deterior aestimandus est, Quanto putandus peior est, qui crimina Perficit, eo, perficere qui meditatus est.	955
D. Br.	Age, frater, age: praebeto te nobis ducem.	
Aqu.	Age, videamus civitatem liberam.	
Lig.	Tuo ense liberetur a peste hac gemens.	
D. Br.	Reges removit Brutus imperio gravi Et consul ipse Brutus ideo factus est; Caesar removit dignitatem consulum Et ultimus Rex ipse Caesar factus est.	965
M. Br.	Vicistis; anceps abiit, excessit timor, Ad hauriendum sanguinem inimicum feror. Nudate ferrum!	
Perc.	<i>dicta, facta, quid amplius?</i>	970
M. Br.	Servire vultis, liberi quondam, amplius?	
D. Br.	Malum malorum pessimorum pessimum Est servitus, quod non modo armis bellicis, Sed morte potius est repellendum procul.	
Tur.	Grave est, grave pati et triste servitii iugum; Officia sed praestare cum reverentia Maleferiato, effeminato, pessimo, Hoc servitutis est iugum intolerabile.	975
Dru.	Servire, quicquid, Brute, dicis, nolumus.	
M. Br.	Evadere mea liberi cupitis manu?	980

- Cass. Nihil est beatum, sancta libertas abest.  
Tua cupimus esse dextra liberi.
- M. Br. Ergo duce me tolletis invisum caput?
- D. Br. Hoc nectar est, hae sunt rosae, Ambrosii cibi.
- Cass. Vt hac tyranni virulenti sanguinem  
Profundere magnus gestit et vix se tenet! 985
- Casc. Non est ferenda semper ambitio ducis,  
Ne vis ferendo roboretur perfida,  
Ne fomes illi subditum patientia  
Sit et licentiae omnis omne incendium,  
Quo tota tandem igne sidat patria. 990
- M. Br. Haec ergo tragica scena quem inveniet locum?
- Treb. Non tragica, sed laeta urbe fiet comica.
- Cass. Locumne quaeris caedis?
- M. Br. illum ipsum.
- Cass. bene est.
- M. Br. Mihi videtur Curia esse aptissima. 995
- M. Br. Cur?
- Cass. quia Senatores, ubi hoc conspexerint,  
Remis equisque nos iuvabunt omnibus.  
Haec namque caedes fiet e re Curiae.
- M. Br. Indago certe mentis acris Cassio est.
- Cim. Sed quem petemus amplius cum Caesare? 1000
- Dom. Confodere placet uno labore Antonium,  
Constans amicus qui videtur Caesaris.
- Cinn. Assentior, nil mordet ultra mortuus.
- Aqu. Vellatur herba tota cum radicibus,  
Ne quando ab illis germen aliud pullulet. 1005
- Cass. Quid tibi videtur, Brute; num tutum hoc putas?
- M. Br. Minime puto. periisse satis est Caesarem;  
Iustam hanc necem sequetur hoc encomii,  
Quod tota mundi capere non quit machina.
- Lig. Sed, Brute mi, quam destinas ludo diem? 1010
- M. Br. Accommoda orsis veniet implendis dies.  
Consilia quoque graviora locus et res dabunt.  
Sed interim curate curanda optime.
- Tur. Mea sica duris iam nitescit cotibus.
- Dru. Acutior erit pugio novacla meus. 1015
- Aqu. Manus ad os, ne deferamur, ponite.
- D. Br. Et pugiones circulo huic infigit  
Vestros.
- Aqu. quid hoc?
- D. Br. hic circulus concordiae  
Silentique denotabit tessaram.
- Aqu. Ita convenit.

D. Br.	quicunque facta eliminat, Elinguis ille pugionibus his erit, In mille sectus frusta cum Caio improbo.	1020
Casc.	Placet hoc, adhinnimus: cadet cum Caesare.	
M. Br.	Nunc ergo magis estote muti quam scapha.	
Perc.	Parebimus.	
M. Br.	vos ite; ego hic cum Cassio Meoque Decimo fratre praestolabimur Super globum orbis prodeuntem Caesarem.	1025
Cass.	Sed quid rogati forte responsabimus?	
M. Br.	Condita melle verba dulci sentiet, Sed tincta felle verba amaro sentiet.	1030
Cass.	In pectore fel, in ore mel mundus gerit. Mundum hic sequemur.	
M. Br.	Caesar adventat, tace.	

### Scena quarta

Caesar, M. Brutus, D. Brutus, Cassius

Caes.	Res est profecto misera; clades est malis Aequanda nullis, patrii belli malum Civile, seu vincare sive eas victor.	1035
	Semper tamen candela velut insumeris, Vt sicca detur nullibi victoria.  Quid est triumphus? quid? triumphum ducere, Est naeniis et lugubribus epicediis Suum et suorum flere fusum sanguinem.	1040
	Nunc quod ferendum maximo acceptum Iovi, Composta patria, cuncta tranquilla undique, Armisque positis alta pax gentes alit; O sancta pax! petita votis omnium, Quam dissuere qui audacter intentaverit,	1045
	Devotus atris pereat is Furiis male. Vos, quod Themis dedit alma ius mortalibus Et pauperibus et divitibus, addicite, Memores Dei mentisque vestrae, qua dedit Mortalibus Deus ipse nil divinius.	1050
M. Br.	Quod ius, monar<c>ha Caesar, est praetoribus, Hoc nos, tuo de iure praetores dati Populo, feremus, aequitas ut postulat. Dum nostra superest vita, pro te stabimus.	

D. Br.	Ego ipse lateri iunctus ac haerens tuo Semper, benigne Caesar, hanc pacem auream Venisce mundo a numine affirmo tuo Regumque titulis inde dignum te puto.	1055
Cass.	Magnanime Caesar, civibus leges damus, Pia thura pro te, pro tua vita damus. Pro te tuisque omni periclo nos damus.	1060
M. Br.	Ito, ito lictor; hora iudicii imminet.	

## Scena quinta

Caesar, Cicero, Lepidus

Caes.	Multis, amici, nunc amicis floreo; Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον Φίλου[ς].	
Cic.	<i>Nulla est possessio pulchrior amico.</i>	a
Cic.	Nόμιζ' ἀδελφοὺς τοὺς ἀληθινοὺς Φίλους. <i>Existima fratrum loco veros esse amicos.</i>	1065
Caes.	Veros amicos hosce, mi Cicero, haud putas? Mellita qui tot verba coram proferunt?	
Cic.	Absentia probet.	a
Caes.	vultus animi est ianua.	
Lep.	Multi recessus in animis mortalium.	
Cic.	Natura multas saepe latebras occulit Et vela tendit; saepe frons, oculi et manus Vultusque mentiuntur: o Caesar, cave!	1070
Lep.	Dendas ministris corpus excubitoribus.	
Caes.	Respuo ministros, cuncta pacata intuens.	
Lep.	Quid? unda ponti saepe considit trucis, Persaepe saevas Auster imminuit minas, Placidumque fluctu murmurat leni mare. Cur? timidus ut deponat insuetos metus, Quid ergo? an illi propterea habebis fidem?	1075
	Nec remiges nec anchoras nec alia, quae Vsus indiget, tecum soluturus feres?	
	Ita quem tibi modo benevolentem maxime Oleoque leni leniorem cogitas, Causa ingruente perlevi invenies ferum Saevumque et alto detonantem fulmine.	1080
Caes.	Quos ergo timeam?	
Cic.	Dolabellam, Antonium.	1085

- Caes. Non ego comatos expaveo cum pinguibus.  
 Imo graciles magis expaveo cum pallidis.  
 Lep. Ergo graciles illos time cum pallidis.  
 Cic. Nam cautio tua nostra, Caesar, cautio est. 1090  
 Caes. Quisnam necuerit Caesarem?  
 Cic. manus improba.  
 Caes. Manum hancce quidnam armarit ad tantum nefas?  
 Cic. Odium, invidia, furor actus.  
 Caes. inimici iacent.  
 Cic. Superant amici.  
 Caes. vita amicis invida?  
 Cic. Censes amicos.  
 Caes. clara eorum stat fides. 1095  
 Cic. Sublestā latitat.  
 Caes. gratiam cunctis dedi.  
 Cic. Cave, cave, quibus dedisti gratiam.  
 Semper cicatrix vulnere obducto manet.  
 Lep. Placatur aequor, nec statim sedabitur  
 Arenula maris.  
 Caes. illa nil ad Caesarem. 1100  
 Lep. Cave Cassium Brutosque cum socia manu.  
 Caes. Muscasne timeat Caesar?  
 Lep. hostis quilibet  
 Timendus, etsi est musca vel muscis minor.  
 Caes. Metuamne scarabaeos?  
 Cic. et hic volucri Iovis  
 Clam fregit ova, fregit in gremio Iovis. 1105  
 Lep. Fac esse nulos, qui tibi insidias struant;  
 Tamen ito septus militum custodia.  
 Nam quilibet, cuiusque sexus est, magis  
 Debet timidus adesse quam prudens parum.  
 Minime peribis morte subita.  
 Caes. hoc optimum 1110  
 Genus aio lethi, morte subita occumbere  
 Nec tot malis morbisque cruciari diu.  
 Ego hocce mortis opto mihi votis genus,  
 Nec mihi placuerit militum custodia:  
 Melius perire pulchriusque est millies,  
 Quam civitate in patria sine militum 1115  
 Manu suis non posse fidere subditis.  
 Cic. Virtute saepius opprimitur audacia.  
 Caes. Vixit satis, qui patriae vixit satis;  
 Vixit parum, qui patriae vixit parum. 1120  
 Mihi satis est, quod huicce vixi tempori,  
 Vel etiam ad aetatem vel etiam ad gloriam.

Cic.	Vixti satis, sed gloriae, non patriae: Huic natus es, huic vivere diu te decet.	
Caes.	Pro patria vivo, occido pro patria. Sed occido, quid dico? mors pro patria, Haec sola vera digna vitae nomine. Sed quid diu de rebus his ago frivolis? Larvas timetis, o amici, umbratiles.	1125
Lep.	Monuimus et monemus: o Caesar, cave.	1130
Cic.	Brutos tuos cum Cassio, Caesar, cave.	
Caes.	Edico, ad aures illa ne veniant meas, Expectat haec, expectat haec Brutum cutis. Potius Lupercos pro foro spectabimus.	

## Scena sexta

Antonius, Caesar, Cicero, Lepidus

Ant.	Salve Imperator, Iuppiter, Rex inclyte, Caput urbis Ausoniae. optimum vere vocat Te Roma, Caesar; optimum te plebs tua Supplex adorat, optimum te patriae Memorat Senatus, optimum te singuli. Commune regnum possides iam cum Iove:	1135
	Vt ille coelos optimus flectit suos, Sic tu ipse terras flectis optimus tuas. En, tibi Quiritum populus hoc per me exhibit Diadema; salve, sancte Rex, salve et vale.	1140
Caes.	Non Rex vocor, sed Caesar, Antoni, vocor.	1145
Ant.	Quid? plebis haec contemnere audes munera? Cingat tuum, Rex magne, diadema hoc caput, Te laude dignum populus ad coelos vehet.	
Cic.	Ne sume, Caesar.	
Lep.	renue.	
Ant.	plebs fieri iubet	
	Regemque placidumque Caesarem et mit[t]em vocat.	1150
Caes.	Rudis popellus saepe, quod laudem invenit, Carbone nigro et virgula censoria Notans, superbos nominat, qui muneris Et dignitatem et gloriam trutinant sui. Dein dissolutos atque vulgares nimis,	
	Adeuntibus qui se benignos praeparant, Vocant tyrannos; semitam legum qui eunt,	1155

Vocant remissoſ, plumbeoſ et frigidos,		
Tenedia qui non bipenni undique secant.		
In verba, gestus atque motus singulos,	1160	
Post et in amicos, in iocum et victum et domum		
Et in cubile inquirere solent principis,		
Adeo ut popello nullibi credas levi.		
Ant. Te plebs tua timet.		
Caes. diligi volo.		
Ant. diligit:		
En, hoc amoris pignus! hoc, Rex, accipe.	1165	
Caes. Regem veretur Roma, non nescis, Iovem.		
Ant. Quid? dignitate pro tua renuis coli?		
Non cogitas te nominari Caesarem?		
Caes. Satis ita vocor.		
Ant. autoritatem hoc tibi parit.	1170	
Autoritate si magistratus caret,		
Mandata sunt futura nullius rei;		
Mandata flocci si aestimantur ab omnibus,		
Imperia certe non queunt consistere.		
Caes. Autoritatem conciliat amor et fides.		
Vos hanc coronam mittite in Capitolium;	1175	
Actum hoc in acta iubeo scribi publica,		
Me regia haud voluisse sumere nomina,		
A plebe mihi delata, ne invidiae locus		
Odiique detur. omnibus nam cognitum est,		
Vt Eurus alta perflat ingenti sono,	1180	
Missa ut tonantis summa quatiunt fulmina,		
Sic livor alta semper ac ardua petit.		

## Chorus Lupercorum canens

Cho.	I.	<i>Fratres, estote laeti!</i> <i>Corniger pecorum Deus vagatur.</i> <i>Pani Deo Luperci</i> <i>Saltu pedes movemus;</i> <i>Capras ovesque nostras</i> <i>Pan optimus tuetur.</i>	1185
	II.	<i>Fratres, estote laeti!</i> <i>Romulum lupa nutriit Remumque.</i> <i>Vrbis patri Quirino</i> <i>Saltat nostrum Lupercal;</i> <i>Nurus captate plagas,</i> <i>Partus lenis sequatur.</i>	1190

## Actus tertius

### Scena prima

Trebонius, M. Brutus, D. Brutus, Cassius, Casca, Cimber,  
Domitius, Cinna, Aquila, Ligarius, Turullius, Drusus

Treb.	Nunc, nunc adest, o Brute, momentum ultimum.	1195
M. Br.	Nunc nos Achilles esse oportet et Hercules.	
Casc.	Nunc facinus audendum, quod omni maius est Facinore, Caesar denuo Rex ne audiat, Contra tumultus deligendus Parthicos.	
Dom.	Dicant Sibyllae, quod volent, pia carmina: A rege Parthos posse vinci, haud ab alio. Nos iure fastidimus isthoc nominis, Ne inflet tyrannum Caesarem nimius honor.	1200
Cinn.	Nimius honor nimiaque laus et gloria Animi bono cuique levitatem parit,	1205
	Vt esse sese iam potent tales viros, Quales ab aliis praedicantur publice.	
Cass.	Dominationem ferre non potui puer In Faustulo iactante Syllae filio;	
	Nec vir eandem patiar aequo animo in viro.	1210
Aqu.	Sed qua via modoque rem tentabimus?	
Cim.	Ego deprecabor fratre pro profugo meo, Restituat urbi ut exulem; quod si meis	
	Annuerit hisce precibus optate minus, Toga retracta dextera insiliam scelus,	
	Non secus ut agnum dentibus lupus involat.	1215
	Hoc ita peracto, vos, amici, singuli, Suetum ad tribunal ordine astantes bono,	
	Euro oxyus proruere, gladiis caedite.	
	Nonne haec videtur ratio satis accommoda?	
Lig.	Satis. sed unusquisque nostrum ense irruat Vulnusque faciat.	1220
Tur.	exequemur et hoc probe.	
M. Br.	Tarpeie superum rector et magni pater Mavors Quirini, nostra si non displicant	
	Facinora vobis - sed cuinam displicant	
	Deorum et hominum? -, dexteris infundite	
	Enorme nostris robur et ahenea date	
	Pectora; necem illam perpetremus fortiter.	1225

Dru.	Et vos vocamus, Nocte prosata numina: Incendite ira nostra rabidae pectora Caedem in nefandam, pestiferum ut abeat scelus.	1230
Lig.	Iuvate, quicquid est Deorum in vertice.	
M. Br.	Iuvate, quicquid est Deorum in marmore.	
Cass.	Iuvate, quicquid est Deorum in Tartaro; Tantos honores invidemus Caesari.	1235

## Scena secunda

Caesar, Calpurnia, Spurina

Caes.	Cupidus quietem nescit animus Caesaris, Plus semper ultra tendit et plura appetit. Namque otiose vivere, est male vivere; Nec Sol quietem, nec bonus princeps capit. Digestus annus, Iulii nomen gerens,	1240
	Suusque totis redditus fastis nitor. Parthis subactis, Caucasi gentem accolam Scythiaeque populos milite invadam meo; Germaniae deinde percurram plagas,	
	Victas et urbis sub iugum mittam. omnibus	1245
	His absolutis, astra caelorum petam.	
Cal.	Quo tendis? ah, mi Caesar! ah quorsum? mane.	
Caes.	In Curiam, mea uxor.	
Cal.	exorem, sine.	
Caes.	Quid vis?	
Cal.	Senatum mitte.	
Caes.	nequicquam petis.	
Cal.	Ah, dira timeo, Caesar.	
Caes.	haec mulier times.	1250
Cal.	Da coniugi aliquid.	
Caes.	praeter hoc omnia dabo.	
Cal.	Hoc unicum volo.	
Caes.	unicum hoc nolo. tace.	
	Cedo huc columbas, has poli Diis offeram,	
	Meo et salutem corpori certus petam.	
	Veneranda Domina, alma Venus, Aeneadum parens	1255
	Nostraeque origo stirpis, o Venus inclyta!	
	Propago Martis optimi fortissima,	
	Quirine, nostrae urbis Stator sanctissime!	
	Sator Deorum die, qui mundum quatit,	

	Vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu! Hanc victimam clementer aspicite, o Dei, Et dira, si qua mihi imminent, avertite. Gravide pater! eheu! quid hoc?	1260
Cal.	eheu mihi!	
	Vt derepente contremiscunt omnia, Adytisque mugit terra reclusis grave!	1265
	Ah, mi marite! ah, mi marite! ah, mea salus!	
Caes.	Vrbis Stator! quid illa signant? quid volunt?	
Spu.	Numina, Caesar ave, coeli perrumpere quanquam Ferrea non possunt veterum decreta sororum, Signa tamen luctus immota dedere futuri.	1270
Caes.	Quis luctus est? quae signa sunt luctus novi?	
Spu.	Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes Terribilesque tubas auditaque cornua coelo Praemonuisse tuum, Caesar fortissime, lethum.	
Caes.	Lethum meum? o gens stulta! saepe haec accidunt.	1275
Spu.	Saepe faces visae mediis ardere sub astris, Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae.	
Caes.	Haec vetera sunt; quid ergo prodigii novi?	
Spu.	Mille locis lupus esuriens intravit in urbem.	
Caes.	Da agnum ante portam, nec petet moenia fame.	1280
Spu.	Mille locis Stygius dedit omina tristia bubo.	
Caes.	Dirum canere bubonis hoc est proprium.	
Spu.	Mille locis lacrymavit ebur, cantusque feruntur Mille locis audit et verba minantia lucis. Victima nulla litat, magnos instare tumultus	
	Fibra monet, caesis cor non reperitur in extis, Inque foro circumque domos et templa Deorum Nocturnos ululasse canes umbrasque silentum Erravisse ferunt motamque tremoribus urbem.	1285
	Caesar ave piaeclare: dolos, cave, cuncta minantur.	
Cal.	Prodigia, coniux, ea nihil apud te valent?	
Caes.	An tibi Catonis illud haud est cognitum? Quod nocte caligas dente mures roserint, Non esse habendum prodigii magni loco.	
	Caligae sed illae musculum si arroserint, Demum hoc habendum prodigii magni loco.	1295
Cal.	Ah, mi marite, ne ista fastidi, precor.	
	Neque moveant te nostra, Caesar, somnia?	
Caes.	Quae somnia?	
Cal.	dies tota postquam proxime Sideribus almis cessit et nocti polus, Nostram domum corruere totam funditus Et te, o marite, nescio sane a quibus	1300

- Ferro peremtum confugere gremium in meum  
Videre mihi sum visus; heu, spectra haud bona!
- Caes. Vanae ista mentis vana sunt ludibria. 1305  
 Cal. Vix falsa credo: pectus urunt anxum.  
 Caes. Solet leve esse, quod mulieres commovet.  
 Cal. Ah, mi marite!  
 Caes. ne pedibus obsta meis.  
 Cal. Ah, mi marite, te domi hodie contine.  
 Caes. Se continere foeminae debent domi. 1310  
 Cal. Ah, marite, mitte in hunc patres diem.  
 Caes. Mitti haud queunt; res ardua est, nec tempus est.  
 Cal. Ah, mi marite! per ego peto nostrum torum.  
 Caes. Per ego torum te quaeso: tu dimitte me.  
 Cal. Ah, mi marite! per polum celsum peto. 1315  
 Caes. Per ego polum te peto: petere me desine.  
 Cal. Ah, mi marite! per omne te numen precor.  
 Caes. Per omne numen te precor: sine me, sine.  
 Cal. Ah, mi marite! per hunc timorem te obsecro.  
 Caes. Per hunc timorem te obsecro: dimitte me. 1320  
 Cal. Ah, mi marite! per hasce te lacrymas precor.  
 Caes. Lacrymare possunt foeminae, quando volunt.  
 Cal. Ah, mi marite! per hosce te amplexus precor,  
Per oscula haec.
- Caes. nil obtines a Caesare.  
 Cal. Te per parentis memoriam obtestor tui, 1325  
Per memoriam geneticis oro Aureliae,  
Per memoriam te filiae oro Iuliae,  
Per mortuae sororis oro Iuliae  
Tuae nepotem, Octavium, haeredem tuum,  
Per Lucium patrem oro Pisonem meum;  
Per omne, quicquid dulce fuit unquam tibi, 1330  
Per si quid unquam merita de te sum bene:  
Domi diem hanc per unicam te contine.
- Caes. Illos per omnes oro te: ne ora amplius.  
 Cal. Quaecunque habeo, quaecunque deposcis, dabo. 1335  
Eheu! quid hoc?
- Caes. quid nostra statua ita corruit?  
 Spu. Aspice, sub pedibus tellus commota vacillat,  
Concussaeque cadunt statuae dubiaeque minantur.  
Curia vitetur, singultus coniugis audi  
Atque preces: praesens lux dira nefandaque fatur. 1340  
 Cal. O corculum meum! o mea salus! ah, mane:  
Omnia minantur et malum praesagiunt.  
 Caes. Ventus tremoris causa, sed timeo tamen.  
 Cal. Mane, mane.

Caes.                    sed ecce, Brutum contuor,  
                          Sincerum amicum. audire, quid ferat, expedit.

1345

### Scena tertia

D. Brutus, Caesar, Calpurnia

D. Br. Magnanime Caesar, patriae te orant patres,  
In Curiam dignere iam te sistere.

Caes. Amice Brute, dira minitantur mihi  
Vates diemque hunc ominosum esse admonent.  
Ne ergo in parata pertinax discrimina  
Ruam, domi me continebo hanc per diem.  
Mittatur hodie Curia.

Cal.                    ut te nunc amo,  
                          Mi Caesar! hoc memet beasti verbulo.

D. Br. Heus Caesar!

Cal.                    ito, ito, marite.

D. Br.                    heus!  
Caes.                    quid petis?

D. Br. Vt mecum eas in Curiam.

Cal.                    quid? Curiam?  
                          Apage, maritus ibit in nostram domum.

D. Br. In Curiam ibit Caesar.

Caes.                    at vates vetant.

D. Br. Aruspici quicunque credit, fallitur.

Caes. Nostri precando socia thalami non sinit.

Cal. Minime sinam.

D. Br.                    nunc Caesarem mulier regat?

Cal. Virum haud regit, viri salutem quae petit.

D. Br. Iussu tuo non efferat tecto pedem?

Cal. Non iussa sunt, precibus movet coniux virum.

D. Br. Quid si exeat non impetrata copia?

Cal. Quid, stulte, me tum, Brute, facturam putas?

D. Br. Ferula recenti forsitan excuties nates.

Cal. Insanus es, talisque per me permane.

D. Br. O Roma! potuit Caesar orbem vincere,  
Vincere feroce atque gentes ba<r>baras,

Sed Caesarem haec nunc pica vincit garrula.

Egregia sunt haec imperia, si Diis placet.

Dictator est et consul est Calpurnia,

Iam iam triumphum de suo ducet viro.

1350

1355

1360

1365

1370

- Caes. In somniis cruenta vidi somnia.
- D. Br. Muliere vivit nil superstitionis:  
 Si bubo forte clamat aut ululant canes,  
 Si pulicu[m] culicumque punctae morsibus,  
 Si de focis exire fumus non potest,  
 Miranda praesagire velut augur solent.
- Cal. Quodcunque dicunt foeminae, temnunt viri  
 Micamque nullam profuturi consilii  
 Posse dare credunt, sed rapi affectu suo  
 Penitusque sana mente destitui. micat  
 Vis consilii in mulieribus cata plurimis:  
 Adhuc manerent tecta Priami regia,  
 Suam sororem si audiisset Phryx Paris.
- D. Br. Iam si in Senatum, Caesar, haud venturus es?  
 Omnes malignis te petent dictieriis  
 Moramque certe crastinam in peius trahent.
- Cal. Calumniae livorque semper suppetunt.
- D. Br. Tuis profecto iussibus convenimus,  
 Te publice Regem creaturi novum  
 Terra marique. si Senatum iusseris  
 Redire, donec coniugi Calpurniae  
 Meliora sese obiecerint insomnia,  
 Quot te probris dictisque lacerabunt patres?  
 Et nulla factam poterit excusatio  
 Velare culpam. da parum metui locum,  
 Moeror residat, et dolor deferveat;  
 Nihil est pericli. quid times in patria?
- Cal. Tu forte machinare quid?
- D. Br. quid? somnias  
 Oculis apertis?
- Cal. hoccine est miraculum?
- Caes. Fortis fui laetusque, nunc contra in metus  
 Revolvor: animus haeret ac retro cupid  
 Corpus referre; moveo nolentem gradum.
- D. Br. Magnanime Caesar, iam creabere Rex novus  
 Terra marique. cur bonis tantis sinum  
 Subducis?
- Caes. horror instat.
- D. Br. horror cur adest?
- Caes. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis;  
 Nihil timendum video nec queo dicere,  
 Quare. hoc profecto dicere queo: timor gravat.
- D. Br. Fortuna tecum puppe firma navigat,  
 Fortuna te comitatur omnibus in locis.
- Caes. Fortuna fortis metuit, ignavos premit.

- Cal. Ah ah, mane, mane! esse iam miserum iuvat? 1415  
 Deflecte gressum, dum licet, teque eripe!
- D. Br. Mitte ire, ut ipse patriae mittat patres.
- Caes. Desine precari, fida mea Calpurnia:  
 Ibo ipse, patres voce dimittam mea.
- Cal. Ah, mi marite, te Deus custodiat. 1420  
 Caes. Et te, meum sidus. vale.
- Cal. vale millies.
- Caes. Iacta alea est, eamus.
- Cal. o pia numina!  
 Si rite vos precibusque colui ardentibus,  
 Servate salvum Caesarem et defendite.

### Scena quarta

M. Brutus, D. Brutus, Cassius, Trebonius, Casca, Cimber, Domitius, Cinna, Aquila, Ligarius, Turullius, Drusus, Caesar, Genutius

- M. Br. Auguste Caesar, adsumus, ut in Curiam 1425  
 Tibi comitemur.
- Caes. mente grata agnoscimus.
- Gen. En, hanc tabellam, Caesar optime maxime,  
 Tibi mittit Artemidorus ex Gnido oppido  
 Et, ut repente perlegas, rogat, obsecrat.
- Caes. Quid hoc libelli?
- Gen. solus illum perlege 1430  
 Et ocyus perlege: profecto res graves  
 Et plurimum tua referentes continet.
- Caes. Certe est legendus.
- Gen. te expedi, Caesar, morae.
- D. Br. Omitte librum.
- Cass. perlegas a Curia.
- Treb. Diutius ne detine, Caesar, patres. 1435
- Caes. Manibus retentum postea volvam integrum.  
 Ascendere iuvat Curiam.
- Cinn. tandem iuvat.
- Caes. Adeste nunc prudentia insigni patres  
 Et Parthica de clade consilium date.
- Cim. Patriae pater, benigne Caesar, Iuppiter, 1440  
 Inter molesta nil molestius omnia,  
 Quam patro procul inde privari solo.  
 Ergo per omne numen et nomen precor,

	Miserere, Caesar, et meum fratrem exulem In gratiam restitue clementer tuam; Sic efficacem sortientur terminum, Quaecunque perficere agitas animo tuo.	1445
Caes.	Enorme frater facinus admisit tuus. Proinde profugus patrio careat solo Plures in annos; iuris haec est regula, Vt impii plectantur, ad honores pii Et dignitates evehantur.	1450
Cim.	per tua Te genua supplex oro, restitue exulem. Amici, adhuc cessatis?	
Caes.	o scelus impium!	
	Quid hoc?	
Cim.	videbis.	
Caes.	siccine togam vellicas?	1455
Casc.	Hoc tibi, tyranne dire, vulnus primum habe.	
Caes.	Scelerate Casca, quid facis?	
Cass.	necdum vides?	
	Hoc vulnus habeas.	
M. Br.	hoc tibi habeas.	
Lig.	hoc tibi.	
Caes.	Auxilia ferte, o Dii!	
Dom.	ruite, pessundate.	
Tur.	Lupum ferite.	
Dru.	confodite tumidum Iovem.	1460
Caes.	Erynnies, vos invoco prece vindices! Ingrata scelera!	
Aqu.	adhucne vivis et obstrepis?	
D. Br.	Hanc tibi tuo pro amore cape, Caesar, notam.	
Caes.	καὶ σὺ τέκνον.	
M. Br.	habet.	
Casc.	habet.	
Treb.	habet.	
Cinn.	habet.	
Aqu.	habet.	
Lig.	habet.	
	Multis iacet vulneribus et tabo fluens.	1465
D. Br.	Nunc, nunc, quod ipse Iuppiter vertat bene, Rex et tyrannus Caesar interfectus est.	
Casc.	Nequam iacet.	
Treb.	scelestus ille occisus est.	
Cim.	Terror Senatus periit.	
Dom.	obiit carnifex.	
Cinn.	Anguem veneno noxiun interfecimus.	1470
Aqu.	Extincta cessit pestis et grassans lues.	

Lig.	Non tam ferum Typhona neglecto Iove Irata tellus edidit; nam saevior Haec pestis est: hic hostis est hominum et Deum.	
Dru.	Tu, Brute, paefer huncce nobis pileum.	1475
D. Br.	Quid ille?	
Dru.	libertatis acceptae nota est.	
D. Br.	Bene est, sequimini pileum.	
M. Br.	nunc hanc novam Pacem sonora voce proclaimabimus: Gaudete cives, Caesar occisus iacet; Salvi este cives, Roma tandem libera est.	1480

## Scena quinta

Venus, Iuppiter, Alecto, Megaera, Tisiphone

Ven.	Hominum sator satorque rerum Iuppiter, Parens timende, cuius excussis tremunt Humana telis.	
Iup.	quid petis, mea filia?	
Ven.	Vides pater, mole mihi quanta machinae Parentur et cum fraude quanta iam optimum Caput petitum Iulii, de Dardano Mihi relictum.	1485
Iup.	cuncta vidi, filia.	
Ven.	Egone ero sola semper iniustis malis Exercita? manum gladius hanc Calydonius Violavit olim, bella cum tulit Ilium; Natum meum actum errore vidi pessimo, Vidi silentum intrare sedes abditas Et bella cum Turno atque Iunone gerere. Sed quid mala mei vetera generis conqueror? Lethum parari triste Pontifici pio	1490
	Et arma coniurata vidisti modo, Pater, moveri; Curia ad caedem locus Delectus est. heu, semper occumbit Venus! Cur non, pater venerande, repulisti scelus?	
Iup.	Quod si sororum tecta perlustras trium, Mellita nata, mater Aeneadum pia, Illic videbis aere de solidissimo Chalybeaque rigido composita tabularia. Haec neque fragorem machinae superae poli	1500

	Neque fulminis vim neque ruinas omnium Metuunt Deorum; incisa conspicias ibi Adamante duro fata progeniei tuae. Legi, ipse legi et mente signavi mea; Tibi referam nata, ventura ut scias: Hic Iulius, pro quo laboras anxie, Vitae suae complevit aetatem integrum.	1505
Ven.	Quae digna veniet Iulio merces, refer? Domuit Britannos, per papyriferi quoque Nili vada rates impulit septemflua, Vicit Iubam Cyniphium et Numidas feros, Populos subegit hic ducentos fortiter Cumque hoste bello dimicavit tricies. Multos triumphos meruit: age, quod praemium est?	1510
Iup.	Stellam in comantem Iulum vertam tuum, Haeres bonorum et nominis caesi patris In bella nos habebit ultores suos: Obsessa Mutina illius auspiciis petet Pacem, misera eum sentiet Pharsalia Iterum, Philippi caede madefient nova, Nomenque Siculis magnum aquis superabitur,	1515
	Regni et Canopi Domina postremum cadet. Quid, nata, numerem barbaram gentem tibi Populumque geminum, qui per Oceanum iacet? Quodcunque tellus sustinet inhabitabile, Huius erit, illi pontus etiam serviet.	1525
	Deinde terris pace lativagis data Ad sancta mentem iura convertet suam. Mores bonos formabit exemplo suo, Tandem senior aetherea tanget sidera.	1530
Ven.	Vt te, pater, nunc diligo! en, hoc osculum. Quid nunc, pater? iube aliquid, ut iussa faciam.	1535
Iup.	Rutilans fac animam corpore a caeso iubar Raptam, forum sacramque vim Capitolii Divus ut ab aede videat alta Iulus.	
Ven.	Ah, nate mi, tua membra coniux laverit, Ego Diva rapiam tibi recentem spiritum Meritumque facibus inseram coelestibus. Aspicite, terra quae fruimini munere, Numen anima capit, aspicite,flammam capit,	1540
	Aspicite, celsi scandit ad templum poli Latoque crinem flammeum limite trahens Stella micat et micabit, aether dum micat. Volant ad astra pii, ad Styga labant impii.	
Iup.	Adeste vos, Erynnies.	1545
Ven.	adeste huc citae.	

Tis.	Adsumus ab templis Erebi, quibus undique furvis Fumidus atr<a> ab vadis Phlegethon incendia volvit, Eumenides, quibus anguineo redimita capillo Tempora, terribilis per alia monstra barathri, Tisiphone, simul Alecto, simul alma Megaera. Quid vis, alme pater? quid vis, Venus alma, paratas?	1550
Iup.	Recti ministrae iuris, asseclae sacri Legumque, vindicat[a]e caedem Caesaris.	1555
Meg.	Graviter luent, quicunque modo caedis rei Sunt Caesaris.	
Tis.	parata iam poena improbis; Exemplo erunt insigne coniurantibus, Contra magistratum arma ne sumant suum.	1560
Al.	Quis non Alecto novit? mihi bella, tumultus Iraeque insidiaque et crimina noxia cordi, Me penes unanimes armare in proelia fratres, Possum odiis versare domos et verbere tecta Funereasque subire faces; mihi nomina mille, Mille nocendi artes: testis mihi Iuppiter imus.	1565
Meg.	Me penes insani fremitus animique profanus Error et undantes spumis furialibus irae. Haec manus a supero trabe vasta armata tonante, Haec Athamanteae direxit spicula dextrae, Haec Agamemnonios inter bacchata penates Alternis lusit iugulis; hac auspice teda Oedipoten matri, natae iunxere Tyesten Ismarioque duci natam Pandione Prognen.	1570
Tis.	Corda scelus dirum postquam mortalia fingunt, Tisiphone multo madefactam sanguine sumo Importuna facem fluidoque cruento rubentem Induor hanc pallam: sua vibrant ora cerastae; Persequor ultrici sontes et punio dextra.	1575
Al.	Nunc nigra, germanae, rursus iuvat antra subire.	1580
Meg.	Ire iuvat.	
Tis.	iuvat ire.	
Al.	malae contagio turbae, Cassius et Bruti, scelerumque caterva malorum, Caesaris effuso sacrosancti sanguine, poenas Cum Lapithis, cum Pirithoo, cum Ixione pendent.	1585

## Scena sexta

Calpurnia, Caesar

- Cal. O fata, fata! o fata non nisi tristia!  
 Adeste, fata! adeste! vitam abrumpite.  
 Proh calamitatum triste subitarum chaos!  
 O dive Caesar! o fidem habuisses mihi!  
 Maledicte Brute tuque Cassi pessime, 1590  
 Hanc qui trucem patrare potuistis necem?  
 Heu, misera! quem te cerno miserum! eheu, dolor!  
 Ah, mi marite, ah corculum! amplexus cape.  
 Heus mi ocule! mi anime! sensus est tibi quis super?  
 Ah, nosce me, marite mi, Calpurniam! 1595  
 Non noscis? ah, reclude dulcia lumina!  
 Ah, mi vir! ah, mea spes! mea salus! mea fides!  
 Mea vita! mea columna! mea quondam anchora!  
 Ah, quid queror? non quid queror? misera haud scio.  
 Ah, me vide et vel voce vel nutu meum 1600  
 Solare pectus. sed nec oculi nec labra  
 Quicquam moventur; periit, ah, periit meus  
 Caesar! periit et Roma cum Calpurnia.  
 O tetricum videte, Dii, spectaculum!  
 Quirine, genitor urbis Ausoniae potens! 1605  
 Mavors, Quirini genitor invicti potens!  
 Quique alta sacri tecta Tarpeii tenes,  
 O Iuppiter! dominator et Rex optime!  
 Punite tantum coniugis caesi nefas.  
 Quid nunc querar? mi Caesar! o quid nunc querar? 1610  
 Heu, heu mihi?
- Caes. Calpurnia!
- Cal. ah, quis me vocat?
- Caes. Calpurnia!
- Cal. Calpurniam quis vult malo tanto obrutam?
- Caes. Calpurnia, mei socia quondam pia tori.
- Cal. O dive Caesar! nosco, quocunque es loco. 1615  
 Quid me gemis? quid moesta das questus feros?  
 Lac<sup>r</sup>ymas cadentes reprime; nam frustra gemis,  
 Nec, cur gemas, sat iusta causarum scio.
- Cal. Vtinam haud haberem! sed loquere mecum amplius.
- Caes. Ego non opaca Ditis inferni loca, 1620  
 Praebet ubi volucri Tityus aeternas dapes,  
 Errant furentes impiae Cadmeides  
 Terretque mensas avida Phineas avis,  
 Incolo, sed alta divus astrorum incolo.

	Alma Venus, almus ipse pater, omnia videns, Locum mihi dedit inter ignitos Deos, Vbi nulla memet gravia curarum premunt, Patriae parentes quae premunt et principes. Brevi a nefanda parricidarum manu, Quorum furor, odium, invidia me sustulit, Poenas Deus sceptrique successor mei, Nepos sororis, poscet. o Calpurnia Mea, lacrymarum desine et longum vale. O vale! vale et ave, Caesar, aetheris incola.	1625
Caes.	Nunc me beasti, nunc dolores supprimam, Dum, chare, vivis et Iovi patri assides. Vale dive, vale Romamque clemens aspice.	1630
		1635

### Scena septima

Antonius, Lepidus, Calpurnia

Ant.	O foeminarum illustre castarum decus! Depone questus.	
Lep.	flebilem ex oculis fuga Vultum.	
Cal.	o amici Caesaris, quantum hoc mali est? Si tota lacrymas in perennes solverer, Miremini?	1640
Lep.	eheu! haeccine orbis gratia?	
Ant.	Hanc denique suis exhibit ducibus bonis.	
Cal.	Ah, nulla ab omni parte sors mortalium est Beata! curae mill[a]e mortales coquunt.	1645
Lep.	Non caeca nos fortuna, non casus regit, Calpurnia mea: quicquid adversi evenit, Natu evenit cuncta administrantis Dei.	
Ant.	Tu cede fatis atque fortunae tuae, Calpurnia; brevi forsitan vindex Deus Existet aliquis certus, et veniet dies. Nunc corpus efferemus et celso rogo Dabimus cremandum.	1650
Lep.	meruit id gloria viri, Vt publice in campo cremetur Martio.	
Cal.	O Caesar! o mi Caesar! o sidus meum! Ingrate Brute! ingrata Brutorum cohors!	1655
Ant.	Poenas reposcent numina immortalia, Oculos habentia vindices.	

Cal.	eheu mihi!	
Ant.	O Imperator!	
Lep.	o subactae gloria	
	Terrae!	
Cal.	Iove minor patre, Caesar maxime!	1660

## Chorus Deorum et Romanorum canens

- D. *Nunc, nunc peracta fata Dii vident moesti.*  
R. *O fata dura!*  
D. *Iulius iacet Caesar.*  
R. D. *Decus Quiritum!*  
R. *vindicate, Dii, caedem!*  
*Vltrix sequetur poena.*  
R. D. *beate vale Caesar!*

## Actus quartus

### Scena prima

Octavianus, Spurina

Oct.	Facinus peractum est et nefas - o vindica, Supreme! -, quod non ulla tellus barbara Commisit unquam, non vagus campus Geta Nec inhospitalis Taurus et rigidus Scythes: Meus ille avunculus et meae sortis parens, Is Pontifex maximus, is heros, is pater, Is sacrosanctus, is Deus caesus iacet. Non corpore aegro fractus aut senio obsitus, Non vulneratus ab hoste magno in proelio, Non calamitate abreptus immissa polo, Sed moenia intra fossus - o pietas! - iacet.	1665
	Exercitum qui salvus in Britanniam Duxerat, in urbe, cuius urbis moenia Adauxit ipse, in Curia interfectus est, Cum Curiae iecisset haec fundamina. O dive Caesar! quid tibi clementia?	1670
	Quid sacra potestas profuit cum legibus? Clementia quidem magna virtus in duce est Et velle semper parcere suis hostibus; Sed nimia tuta haud semper est clementia: Misere ab amicis caesus es[t], Caesar, tuis,	1675
	Quos consules clarosque fecisti viros. Vlciscar hoc, ulciscar, o vivam, scelus! O numen alnum! numen aeternum! quid hoc? Quid hoc, refer mihi, sacerdos enthee:	1680
	Fert aquila Cererem, fert aquila gladium mihi.	1685
Spu.	Inclyta Romulidum spes, o Auguste, quid illa, Forte rogas, signent, quid enim nisi prospera signent? Ante tuos partus Velitris, ubi natus es olim, Octavi, postquam micuerunt nubila flamma, Moenia Vulcano de celso fulmine coelo	1690
	Tacta, tuas vires signarunt omina laeta. Maxima spes secli, divum generosa propago, In somnis de te viderunt somnia quondam, Accia quae genitrix, quae Tullius ore disertus	1695
	Impleri cupiunt, Romae dum sceptrum gubernas. Haec Iovis et Romae volucris, regina volucrum, Te notat: imperii sceptrum moderabere felix.	1700

Quid sibi missa Ceres? tu donec iura ministras  
 Salvus, erunt opibus penuaria plena repostis;  
 Pax erit et belli finis, securior aetas,  
 Coeli qua nitidi rutilans patet utraque porta. 1705  
 Quid sibi vult ferrum? caedem vult illud iniquum  
 Caesaris Augusti; ferro ulciscare repente:  
 Impune haud sese iactabit sanguine quisquam.  
 Corpora missa neci quem stillavere cruentum,  
 Persequere effusum gladius tibi denotat illa. 1710  
 Oct. Grates, Deorum summe, tibi fundo, sator,  
 Et iussa tua lubensque meritoque exequar.

## Scena secunda

Cicero, Octavianus

Cic. Auguste Caesar! magna spes Romae et salus!  
 Oct. Quid vis pater, sermonis exulti decor? 1715  
 Cic. Te diligo et, quod est magis, fili, te amo.  
 Nam te catena misit e coelo aurea  
 Tibique flagellum cum ense Rex superum dedit,  
 Imago qualis mihi data est in somniis.  
 Oct. Ea saepius, mi Cicero, mihi dixti.  
 Cic. insuper 1720  
 In consulatu natus es, fili, meo.  
 Ergo hoc pro amore, Iulii pro Caesaris  
 Amore te rogo, obsecro, tu reprime  
 Animos rebelles Fulviae ac Antonii,  
 Vt liberatam contuar Rempublicam,  
 Neque mihi triste perfidi exitium parent. 1725  
 Oct. Mi Marce Tulli, dulcis eloquii pater  
 Paterque noster, sentiet me Antonius  
 Cum Fulvia, dum vixero, contrarium.  
 Sexcenta enim facinora praeteream ut lubens,  
 Quae machinator ille patravit mali, 1730  
 Paterna sine iure hostis invasit bona  
 Mihique, repetenti furta, dira minatus est.  
 Cic. Ni vindicem te sentiet, eris fabula  
 Totius urbis et orbis.  
 Oct. impune haud feret. 1735  
 Sed, Marce mi, captanda tantum occasio;  
 Potentiam hominis cognitam, mi Tulli, habes.

- Cic. Inclinat ad te pertinax populi favor.  
 Oct. Antonius, quia consul, omnia praevaleret.  
 Cic. Captemus ergo occasionem commodam. 1740  
     Tibi interim me trado, commendo tibi.  
 Oct. Tui me habebis, Cicero, studiosissimum.

### Scena tertia

Cicero, Fulvia, Antonius

- Cic. Vere beatam praedico Rempublicam,  
     Octavianus cui Imperator contigit,  
     Opibus potens et gratia populi valens. 1745  
     Hic sarta tecta cuncta conservans diu  
     Iustisque iustus cuncta moderans legibus,  
     Romae tumultu subveniet attritae ope.  
     Antonii nil pertimesco spiritus,  
     Nil huius extimesco Xantippe minas:  
     Clypeum scio columenque vitae Octavium. 1750  
     Sed ecce, dira fulminantes ad me eunt.  
 Ful. Quid, olide, blateras, fullo? quin tandem siles?  
 Cic. Quid, Fulvia Furia, cupis?  
 Ful. infestum caput,  
     Quam me vocas?  
 Cic. Bambalionis filiam; 1755  
     Hic nunquid erro? et foeminam voco sedulam,  
     Vbi rixa gliscit.  
 Ful. Philosophie acutissime!  
     Orator et poeta mellitissime!  
     Historice, cursu qui gradere praepostero,  
     De consulatu disserens primum tuo,  
     Sed Romuli facinora tractans ultimum:  
     Fungosne credis foeminas? timide o lepus.  
 Cic. Apage Furia, cum Cerbero mallem loqui,  
     Coenare mallem Dite cum illacrymabili  
     Quam foeminam, tu qualis es, pravam alloqui. 1765  
 Ful. O Furia si essem, te unguibus discerperem.  
 Ant. Heus Cicero, cur invictus in me tam aspere es?  
 Cic. Prosequimur odio patriae pestes fero.  
 Ant. Praeceptor ergo nonne discipulos amet?  
 Cic. Malus es; at artes prava pectora molliunt. 1770  
 Ant. Vitam, cucule, Brundusii tibi ego dedi.

Cic.	Vitam mihi dedit Caesar, haud Antonius.	
Ant.	Solus fuisti caedis autor Clodii.	
Cic.	Pernego, nec improbus ille dignus vita erat.	
Ant.	Civile saevus excitasti proelium.	1775
Cic.	Vt arma cederent togae, suasor fui.	
Ant.	Letho teneris Caesaris divi optimi.	
Cic.	Num nomina mea nota percussoribus?	
Ful.	Omnia, scelus, quaecunque fecisti, nega.	
Cic.	Quaevis loquaris, audias, quae non cupis.	1780
Ant.	Puram sceleris et integrum vitam traho.	
Cic.	Decoctor es opum, turbulentus, pessimus.	
Ant.	Te mota fuit urbs tota graviter consule.	
Cic.	Cum solvere nequeas, datam solvis fidem.	
Ful.	Tua missa coniux, solveres ut nomina.	1785
Cic.	Corpus tuum prostituis impuris lupis.	
Ant.	Incestuosae nonne natae memineris?	
Cic.	Bene voluisti Clodio monstro virum.	
Ful.	Quid tu maritum, homo nove, defunctum obiicis?	
Cic.	Factus tribunus iura violasti sacra.	1790
Ant.	Violata sacra iura sunt te consule.	
Cic.	Potator acer frustra vomuisti, nefas,	
	Sacrum ad tribunal.	
Ant.	filium obiurga tuum.	
Cic.	Consul Lupercum turpis egisti novus.	
Ant.	Sic festa rodis, morbe veterum livide?	1795
Cic.	Rei Charybdis atque Scylla est publicae.	
Ant.	Taceas Charybdin, te exulasse illuc scio.	
Cic.	Iovis peremti multa rapuisti bona.	
Ful.	Nisi mox legumen cesseris vilissimum,	
	Faxo, ut loci huius et diei memineris.	1800
Cic.	Natura glomus foeminis dedit et colum,	
	Ensem viris Reique leges publicae.	
Ful.	I, timide, tumide Cicero; vivaces aget	
	Violentus iras animus, et, quid foeminae	
	Consilia possint, senties, Tulli, brevi.	1805
Ant.	Quo velit, eat; iam tabula signavit necem.	

## Scena quarta

Octavianus, Fulvia, Lepidus, Antonius, Herennius, Popilius

Oct.	Triumviratus firma stat sententia, Edicta sunt notata; nunc me vindicem Acrem necessum est praebeam dirae necis.	
Ful.	Diu ego petivi tempus hoc, nunc gestio.	1810
Lep.	Praestare quicquid potero, praestabo lubens.	
Ant.	Nec facinori ipse defuturus sum tuo.	
Oct.	Cunctis scelestos spiritus ferro exigam, Avunculus quorum iacet ferro meus. Hoc Diis supremis, hoc viris prudentibus,	1815
	Hoc Tullio non displicebit.	
Ant.	Tullio?	
	Oro, ut nefando pectori gladium inferam.	
Oct.	Marco meo?	
Ful.	de cicere qui nomen gerit.	
Ant.	Affixa tabula nomen eius continet.	
Oct.	Nunquam obtinebis, hic meus vere est pater.	1820
Ant.	Auguste Caesar, quod tibi verbum excidit?	
Oct.	Hic liberator exstitit patriae suaे.	
Ant.	Caesar, profecto hoc nostra dirimit foedera.	
Oct.	Est caedis insonis Cicero.	
Ant.	nos facimus reum.	
Oct.	Quod ergo dignum morte patravit nefas?	1825
Ant.	Pobris laccasset quoslibet rabula invidus.	
Oct.	Cur ergo ab exilio humeris portatus est?	
Ant.	Corrupit omnes, quos modo potuit, ordines.	
Oct.	At cur Senatus veste mutata astitit?	
Ant.	Ni Cicero proscribatur, haud tu noster es.	1830
Lep.	Magno in tumultu nil agendum est aspere.	
Ant.	Cave, lenitatis falsa species avocet	
	Tibi mentem ab aequo.	
Ful.	Caesar, audi: Tullio	
	Dum parcis uni factioso et perditio,	
	Is perditum omnes, in tuum quos hic caput	1835
	Armare sataget; exemplo est Caesar tibi.	
Oct.	Meone nutu flumen eloquii areat?	
	Me caedis huius sera posteritas reum	
	Faciat? facere non queo facinus asperrimum.	
Ful.	Proscribe rursus ex amicis, quos cupis.	1840

Ant.	Rempublicam vexare sospite Tullio Nequimus, ausus ille nostros opprimet. Aut nunc necabo aut hostis ero tuus undique.	
Oct.	Quod al<l>ubescit, facite; testor Romulum, Laticem Quirini testor illimem Dei: Nil sponte facio; quod carens culpa perit, Mea culpa non est. iste vos teneat cruar.	1845
Ant.	Securus ito: quicquid huius pendere Caedes meretur, nos luemus fortiter. At tu imperata perage, centurio, mea, Tabula notante deditos meritae neci, Exposita rostris capita caesorum iace.	1850
Her.	Iussa haud morabor, iussa confestim exigam.	
Ant.	Tabulis ad unum omnes notatos caedite, Quicunque fuerint; sive viles sive sint Claro tumentes genere, parcite nemini.	1855
Pop.	Quaeso, triumvir optime, tuis iussibus Hunc Tullium iugulare sit licitum mihi.	
Ant.	Quicunque caesi referet abscissum caput, Linguam furentem Tullii cum dextera, Ingentia aera pro artubus caesis feret.	1860
Pop.	Nutus ad omnes seduli parebimus.	
Ful.	Vtinam notati caput haberent unicum, Cervicibus caput unico ictu scinderem!	
Her.	O Mars perennis, quot notatos hic lego? Ex ordine sacro cerno ter centum viros, Duo millia equitum, proh! trium fratres ducum Cum avunculis? cum foeminis quoque plurimis. Triumviros quis dirus exagitat furor? Sed iussa nos perficere oportet, sequimini.	1865
Pop.	Subsistete, Herenni: Cicero, quem volumus, venit.	
Pop.	Abdemus hic nos perparum.	
Her.	bene consulis.	1870

## Scena quinta

Cicero, Herennius, Popilius

Cic.	Lectica terram fida famulorum manus Pemat, videre catastrophen tristem hic iuvat. O quot pericla, Roma, pro te pertuli! Ego nam rapinas, machinas compescui,	1875
------	---	------

	Catilina quae admoveare tibi saepe voluit, Cuius furori consul oppositus fui, Quia competitor extitit frustra meus. Ego peracerbam passus exilii notam, Vt a furore Clodii ires libera, Cuius odium Pompeius conflavit mihi; Bona mea direpta, domus in planum data.	1880
Her.	Vt me vicem huius miseret eximii viri!	
Cic.	Pro te Ciliciae, Roma, proconsul fui, Ad Issum ubi Imperator audivi recens, Caesare peremto, pacis autor strenuus, Oblivionem caedis induxi novam. Auguste Caesar! tibi fidem soli dedi, Pro te spo[s]pondi sanguinem, fidum hoc caput.	1885
	Improvide, eheu, Caesar! o iuvenis, fidem Siccine potes praestare delusoriam? Nihilque merito igni ac aqua interdicere?	
Her.	Certe immerens hic oppetet diram necem.	
Cic.	Quocunque supplicium inferatur mihi modo, Nil deprecabor, morte honesta concidam. Nam velut honeste nobilis potius cadit Athleta, supplex quam suo adversario Vt fiat, aequi sic tenaces et boni Cum dignitate flebili letho occubant	1895
	Lubentius, quam turpiter post serviant. Inspicite me, qui iura terrarum sacra Orbi datis, fere omne beneficium perit, In patriam quod aequa mens confert suam.	
Her.	Heus Cicero!	
Pop.	Cicero, nos trium huc mittunt viri, Cum Octaviano Lepidus ac Antonius, Ipsis tuum ut feramus abscissum caput.	1905
Cic.	Nil extimesco, munus est lethum mihi.	
Her.	Philosophus es. Philosophus et mortem oppetes.	
Cic.	Humana vita diutius quo dicitur, Maioribus eo animum implicat mortalium Angoribus; dimissa per mortem cito Molestiis nos liberat quam plurimis. Mortalibus natura proposuit necem,	1910
	Et nulla propulsare vis poterit necem. Sed turpitudinem atque mortis dedecus Divina propulsare virtus assolet.	
Her.	O Roma! quanta orbaris hodie gloria!	
Cic.	In morte nihil est, ut poetae aiunt, mali, Monumenta quorum si manu pervolvimus.	1915
	Rapitur volueri tortus Ixion rota,	
		1920

	Vndas in undis quaerit infestus senex, Auditur illo Cnossius Minos foro, Rhadamanthus illo, terribilis illo Aeacus: Haec cuncta nugae sunt, aniles fabulae; Proinde mentis sic inops nemo fiet, Quem terreant figmenta fatum talia. Ergastulo de corporis discedimus, Sed anima nobis missa ab aethereis plagis Ascendit iterum templa coeli fulgida, Vbi cum Deo laetatur aeternos dies. Mors a malis avocat, non bonis. Agite, paratus asto, iugulum praebeo; Vitam suam ceu bene peractam fabulam Nemo sapiens coinquinat turpi exitu.	1925
Pop.	Hominis lepores miror et Veneres tremo.	
Cic.	Non moriar omnis, multa pars dirum mei Vitabit obitum, laude crescam postera, Vsque Capitolii celsa dum culmina petet Cum virgine sacra Pontifex pius, optimus.	1930
	Ego celebrabor, qua Aufidus vagus obstrepit, Qua pauper undae Daunus et Rhenus potens Loca populosa lambit amplio gurgite.	
	Me quoque Gelonus, Colchus et Dacus et Iber Discet peritus; Guttali, Suevi, Albidos Istrique potor diligit mea viscera.	1940
	Orationes me meae laude evehent Scriptaeque tabulae: vivet Orator meus Hortensiusque cum Lucullo atque Catulo.	
	Leges legentur saepe; finem nescient, de finibus quae disputant rerum omnium; Academiis volventur opera Academica, Et Tusculana tecta scandent principum.	1950
	Vndique locorum Topica pertingent mea; Officia facient, Fata fatum haud sentient, Reliqua manebunt, astra dum coelo manent.	
Pop.	Quid ociosi ludicra illa attendimus?	
Her.	Iugulare nequeo.	
Cic.	facite, quae mandata sunt;	
	Paratus sum.	
Pop.	bene paratum me vides	
	Ensemque strictum.	
Cic.	ingrate, qui tantum potes Patrare facinus? nunquid es sceleris memor? Te postulatum caede de patris, mea Oratione liberavi crimine.	1955
Pop.	Pretium dedi, nec ulla remanet gratia.	

Cic.	Perage tibi imperata! iugulum praebeo, Τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει. <i>Omnes homines mors manet.</i>	1965
	Mi Quinte, frater vale, valete omnes.	a
Pop.	Mi Quinte, frater vale, valete omnes. habet. Nunc amputata dextera, linguam auferam. Peracta caedes ista; proscriptos decet Mactare plures, tabula quos scriptos habet. Hoc fero caput, pro capite quod dixit meo; Quod hunc virum interficerim, mea fraus erit, Solem dies dum sequitur et noctem sopor.	1970

## Scena sexta

M. Brutus, D. Brutus, Cassius, Spectrum

M. Br.	Quicunque puras scelere servatis manus, Me fugite longe; fugite, ne vultus meus Etiam nocentes polluat. commercia Tam dira mundus nesciat. ego, heu, Caesarem! Heu, Caesarem hac, hac te interemi dextera, Magnum virum totius aeternum decus Columenque mundi. ah, terra dum stabit, scelus Hoc o nefandum terra de Bruto feret,	1975
	Eheu mihi! quem larva sequeris lurida? Quo me recondam? quo capessam nunc fugam?	1980
Spe.	Frustra fugis.	
M. Br.	quis ergo tu es? et unde huc venis? Horrenda spectri forma, diri et pallidi.	1985
Spe.	Hoc nempe quaeris, Brute; sum genius tuus, Non candidus, sed ater ex Stygia domo.	
M. Br.	O Caesar! eheu, Caesar! o si viveres!	
Spe.	Me noster ad te misit Taenaria ex specu, Vbi Cerberus terno ore limina personat,	1990
	Vt, Caesarem quia sustulisti, insons caput Tibique amicum de optimis longe optimum, Iovis profundi nunciarem oracula. Contage tota cum tua misere occides	
	Victimaque scandes grata Tartareum ad lacum,	1995
	Vbi Cerberus terno ore limina personat. Brevi vale, videbis iterum me brevi.	

- M. Br. Heu heu, amici! debita haud ultra moror  
Supplicia dirae mortis, ad Stygias specus  
Dux ille vester praereo; vos aequum est sequi. 2000
- D. Br. O Marce frater! saeva Nemesis me undique  
Persequitur.
- Cass. et me, Brute, Dirae agitant. Stygis  
Iuvat ire ad antra furva.
- M. Br. iuvat.
- D. Br. et me iuvat.
- M. Br. Mundi creator, si nec ignavus times  
Humana nec te fulmine armatum truci  
Frustra pavemus: terra quid meruit tua,  
Quod talia ferat monstra? 2005
- D. Br. quid Sol, qui videt?
- M. Br. Immitte fulmen in petentes coelitus.
- Cass. Quantumque coelo est igni, hoc una caput  
Feriat ruina. age, age, tona, fulmina iace. 2010
- D. Br. Exitia machinare terrifica, horrida,  
Nondum reperta. facis? an haec faciet manus?  
An pugio isthic faciet? hic, hic Caesarem  
Nuper peremit: hic herum perimet suum.
- Cass. In me tona, me fige; me velox cremet  
Transactus ignis: sum nocens, merui mori. 2015
- M. Br. Vel me, profundi saeve dominator freti,  
Invade, monstra emitte caerulei maris.
- D. Br. Fulmen recusat Iuppiter, alias est modus  
Nobis trahendus. dira Furiarum trium 2020  
Feralis acies, nata punire impios,  
Quid nos rei hostile circumsistitis?
- Cass. Quid territatis amplius?
- M. Br. quid verbera  
Ingeritis illa?
- D. Br. quid fugatis liberos  
Vestros? venio, iam venio, poena haec est mea.  
Vale frater; en, hoc ultimum, frater, vale. 2025
- M. Br. O care frater Decime, te iam iam sequar.
- D. Br. Cassi vale.
- Cass. vale Brute mi, nunc vale.  
Sic, sic pereo, sic macto me letho hostiam,  
Sic sanguine meo sanguinem expio Caesaris. 2030
- M. Br. O tragica species. iam sequar, Cassi optime.  
Vos subditi, cuiusque vivitis ordinis,  
Haec mea suprema verba cordi infigite:  
Quoscunque vobis ipse proposuit Deus  
Nomenque sanctum quis magistratus dedit,  
Diligite, colite, iussa non contemnите, 2035

Vt cuncta semper administrentur bene.  
Nam quid aliud Senatus est amplissimus  
In urbe quam, quod cor in homine atque ratio?  
Quid in urbe populus quam, quod in homine corporis  
Sunt membra reliqua? munere suo non queunt  
Cor atque ratio fungier, morem nisi  
Imperio eorum membra praestent caetera:  
Videnda videat lumen, apprendat manus  
Capienda; sic Senatus incassum quoque  
Deliberat, sancita ni plebs subdita  
Obedienter exequatur munia.  
Plura nequeo. valete nunc, orbis vale,  
Mea Porcia vale, fida coniux coniugi.  
Sic, sic peribit vel peribit miserius,  
Quicunque vim principibus adfert et necem;  
Haec iusta seditionis est merces miserae.

## Scena septima

## Porcia, Herennius, Popilius

Por.	Frustra tenetis; sinite, cum Bruto occidam.	
Pop.	Male pereas, perire quia volupe est tibi.	
Por.	O Brute! gladio me tuo perimam.	
Her.		abstine.
Pop.	Mihi pugionem redde.	
Por.		gladium porgit Vel me necate potius.
Her.		at neutrum impetas, Gladio cares, mortem ergo nequicquam feres.
Pop.	Sine, eiulet; nos interim potabimus. Voces maritum flebiliter. en, hunc scyphum.	
Por.	O mi marite! sidus o clarissimum! Tecum per annos aliquot ego vixi bene; Non iurgia ulla sensit hoc connubium, Non odia amorem considerunt mutuum: Eadem voluntas, eadem erat concordia, Eadem voluntas morte durabit mea. O dulcis amor! o dulce decus! o grata spes? Ego quoque nefandae causa tibi necis extiti Caedem iuvando et approbando Caesaris. Cur ergo lucem te relicto contuar?	2055 2060 2065 2070

	Ferrum abnegenit; ad mortis hoc adsint novum Prunae genus: namque hisce cludam spiritum Et ore clauso morte te, o Brute, insequar. Vixi hactenus tecum, occidam tecum lubens. Gladius negetur, fata prunae ultima dabunt.	2075
Her.	Iam te sequar, mi Brute, iam praesens loquar. Hominum fidem! quid illa patrat foemina?	
Pop.	Vt cum marito vivat, accersit necem, Carbonibus suffocat animam ardentibus.	
Her.	Quid, Popili, sic stamus? accurre oxyus. O dive Caesar! quanta mulierum est fides,	2080
	Fucata si non est fides, nescit modum.	
Pop.	Oppressa vi anima est, nullus hic est spiritus.	
Her.	O Porcia! patris exitum imitata es tui, Ignes tuos futura posteritas canet	
	Castumque amorem tollet immotum tori.	2085
	O mihi Deus tales dedisset foeminam!	
Pop.	Tune ergo tam procacem habes?	
Her.	belluam habeo, Quae iurgiis me obtundit et pene enecat.	
	Gladio, quod averuncet aethereus pater, Si me peremptum forte consiperet virum,	2090
	Illa institueret laeta bacchanalia Et ad cadaver duceret choreas meum,	
	Deabus et Diis omnibus daret hostias.	
Pop.	Haec prodeunti membra tradam Antonio.	2095

## Scena octava

Herennius, Popilius, Fulvia, Antonius

Her.	Tabula notatos misimus ad orcum viros Et foeminas servosque, iuvenes et senes.	
Pop.	Aspice, crux gladius etiamnum tepet. En, hic habes Ciceronis avulsum caput.	
Ant.	Haec digna risu Antonio spectacula! Hoc pro labore merita capias praemia.	2100
Ful.	O virulenta lingua! detestabilis! Caput o dolosum! o plena dextera fraudibus! O execranda membra bipedum pessimi! Pupugistis ante pura pectora omnium,	2105

- Pungenda rursus acubus his estis meis.  
 Quid dira manibus tracto? terra haud digna sunt.
- Ant. Collecta iacite membra pro rostris statim.  
 Nunc ergo caesus ense Tullius hic iacet,  
 Nil dulcior quam cernere hostem mortuum. 2110
- Ful. Non ergo poteras gratiori victima  
 Placere Ditem, illata nex iustissima.

### Scena nona

Hortensia, Fulvia

- Hor. Vos me sequimini, foeminae clarissimae:  
 Mortem appetere quam ferre vim illam malumus.  
 Fulvia, malorum machinatrix omnium! 2115
- Ful. Quid vult sibi isthaec blanda compellatio?  
 Hor. Tu causa, tu fons, tu caput es omnis mali;  
 Suasu tuo perdidimus, o pessima, viros,  
 Suasu tuo totam per urbem foeminas  
 Mille et quadringentas trium rabies virum 2120  
 Proscripsit, ut darent facultates suas.  
 Quare, quia autor huius existi[t] mali,  
 Triumviros precibus tuis rursus mone,  
 Mandata dicta ut abrogent. haec, quas vides  
 Oculis tuis, est mulierum sententia. 2125
- Ful. Egone abrogabo? pessimo vos mavelim  
 Letho peremptas.
- Hor. o Furia Stygiae domus!  
 Factura numquid? et precatura es viros?
- Ful. Nisi abieris, tibi certa crux supplicium erit,  
 Vel ense nostro, quem merita, misere cades. 2130
- Hor. Mulier suavis! hanc colum et rhombum vides?  
 Hoc te batyllum, hoc te rutabulum foeminam  
 Docebit esse; vertet animum istud veru.  
 Haec testa cerebro illisa cerebrum conteret.
- Ful. Egone patiar haec probra? prodi, Hortensia,  
 Prodite scelerum copiae: Camilla ero  
 Furensque Penthesilea. 2135
- Hor. gusta hanc perticam  
 Columque.

- |      |  |
|------|--|
| Ful. | gladium hunc esuris, cladem dabit.<br>Testor Styga, solum cum polo, cunctas Deas:<br>Letho malo cadetis omnes. |
| Hor. | nil minis<br>Tuis movemur.   |
| Ful. | fure, fure, furens Fulvia.   |
| Hor. | Non mihi labascit animus, omnis abest timor.   |

2140

## Scena decima

Lepidus, Octavianus, Antonius, Fulvia, Hortensia

- |      |  |           |
|------|--|-----------|
| Lep. | O Dii boni! quid hoc novi est certaminis?  |           |
| Oct. | O dive Caesar! quid proelii, quid contuor?   |           |
| Ant. | Testor Deos, vidisse me nunquam id genus.  | 2145      |
| Lep. | Vos dirimite citi, minor et rideo satis.   |           |
| Oct. | Heus foeminae! cur ista Bacchanalia<br>His peragitis furore tempestatibus?   |           |
| Ful. | Iniuriam mihi faciunt, probra ingerunt,<br>Pithecia illa et faeda spinturnicia.  | 2150      |
| Hor. | Quod nos decebat, petiimus de Fulvia;<br>Quod non decebat, hoc sumus passae.   |           |
| Ant. |  | quid hoc? |
| Hor. | Ferro necastis liberos, fratres, viros,<br>Patres, sorores; si auferetis quoque bona,<br>Indigna sexu perpetrare animo sedet.  | 2155      |
| Ant. | Hos impetus notate, collegae optimi.   |           |
| Hor. | Nos nemini vim intulimus, aedes nullius<br>Diruimus, nullas copias concidimus:<br>Quid ergo culpa nos vacantes plectimur?<br>Quidnam tributis ita gravamur foeminae?   |           |
| Ant. | Instant tumultus bellici, argento est opus.  | 2160      |
| Hor. | Quid? bella quando defuerunt Italica?<br>Quando tributa a mulieribus exacta sunt,<br>Quas gentium ius semper immunes facit?  |           |
| Lep. | Tributa bello non dederunt Punico?   | 2165      |
| Hor. | Vltro dederunt foeminae ex mundo suo,<br>Cum patria ipsa gravia tolerabat mala.<br>Veniant Britanni, veniat acies Gallica,<br>Parthus veniat et Celta: nos patriam<br>Tuebimur nostram. absit, ut vobis opem<br>Nos inter enses dimicantibus ac opes | 2170      |

- Ad bella contribuamus haec civilia.  
 Non Cinna nobis hoc grave imposuit iugum,  
 Non Marius, ut nec Sylla nec Pompeius.
- Ant. Quid vos, mulieres, iussa patrum contemnitis? 2175  
 Quaenam migravit Furia vestra in pectora?  
 Inferre vim cur vultis almae Curiae?
- Hor. Quid quaeris ultra? dicta stat sententia:  
 Nihil tributi ad bella tibi concedimus.
- Ful. En, quam eleganter patribus obstant foeminae? 2180  
 Ant. Vos rapite Furias!
- Hor. quid? periculum, si viri  
 Estis, facite; videbis, an quid foeminae  
 Possint, iniqua iura quas tua supprimunt.
- Ant. Audire nequeo pluribus linguam improbam.  
 Hor. Neque nos, tyranne, contrucidabis, fere, 2185  
 Multos ut inter contrucidasti modo  
 Virum optimum, virum eruditum Tullium,  
 Laus cuius axis alta tangit sidera.  
 Quot vos necastis nobiles? iuvenes? senes?  
 Exposita rostris capita caesorum iacent,
- Moestae videmus; flere nec licitum suos  
 Nec gemere. dira tabe pollutum est forum:  
 Nuper nefastus Brutus in caedem ducis,  
 A quo salutem tulerat, armavit manus;  
 Invictus acie gentium domitor, pius 2195  
 Caesar nefando civium gladio occidit.  
 Quantum crux Roma nunc iterum videt,  
 Lacerata vestro scelere, furioso modo?  
 Effusus iste sanguis ascendet polum,  
 Divina sequitur Nemesis et punit scelus;
- Veniet dies tempusque, quo reddes tuis 2200  
 Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,  
 Desertus et destructus et cunctis egens.  
 Non, crede, sunt cuncta licita magistratui,  
 Libido quae proponit animo effera suo.  
 Hoc facere laus est, quod decet, non quod libet.  
 Namque est superior Dominus, altitonans pater;  
 Hic principes constituit, hic firmat duces,  
 Tibi regiminis huic ratio danda est tui.
- Lep. Quid tibi videtur Caesar? haec causa est bona, 2210  
 Quam protulerunt foeminae.
- Oct. certe nimis  
 Crudelis est Antonius cum Fulvia.
- Lep. Ne tragulam iniiciant tibi, cave sedulo.

Oct.	Matres Quiritum, rem gravem lux proxima Exactius cognoscet; aedes visite Vestras, rescindo edicta de vestris bonis.	2215
Hor.	Tibi, Caesar, optimi patris fili optime, - Vtinam suo viru et veneno noxio Antonius tibi non adhalaret nimis! - Grates agemus maximas, dum vivimus.	2220

## Chorus canens

Cho.	I. <i>Seditio luit graves poenas, Meritas luit, dolus et fucus Luere cum periuriis: Sic poena cum comes sequitur culpam.</i>	
	II. <i>Integritas manet dies omnes; Placidus regnat, pius et clemens Ad regna tendit coelitum: Haec iusta bonis veniunt bona.</i>	2225
	III. <i>Conde, Dea, tuum ferrum, conde: Caesaris caedes punita satis Triumvirum per Caesarem. Nunc este, Dei, placidi Romae.</i>	2230

## Actus quintus

### Scena prima

Cleopatra, Psella

- Cleo. Prodeo Canopi Domina regni maxima,  
Similem cui non videt, omnia qui videt  
Radians ab axe Phoebus. at cur ventulum  
Mihi non facis, mea Psella? 2235
- Pse. secura i, mea  
Regina; diligenter haec iussa exequar.
- Cleo. Quem, Phoebe, nostro cernis imperio parem?  
Vnquamne nobis, Phoebe, vidisti parem?  
Par gradior astris, genere mortali altior.  
Quid primus huius rector Aegypti Lagus?  
Quid tot sati fuere Ptolomaeo duces?  
Hominum fuere misera mendicabula.  
Sane meretur forte digna encomia  
Ille, cui septingenta erant voluminum 2240  
Millia; sed eat et abdito lateat loco  
Philadelphus ille. regna nam florent mea,  
Edit magistros flamma mutos Caesaris.  
Quae gens? quis orbis aut quod imperium extitit,  
De tam cata quod glorietur foemina?
- Non ullus est in regia interpres mea;  
Ego ipsa duo responsa Troglodytis meis  
Cum Aethiopibus Arabibusque cum Medis loquor  
Syrisque cum Parthis Hebraeisque et aliis,  
Me qui verentur, sceptrum qui norunt mea. 2250  
Sed quid ea memoro, nota quae sunt omnibus?  
Tu, Psella, summo a vertice ad calcem pedis  
Circumspice, an me decoret haec vestis satis?  
Si quid vides fortasse turpatum, mone.
- Pse. Regina, neglectum video plane nihil. 2260  
Virtute formae fit tuae, ut te ornent bene,  
Quiscunque tandem vestibus te ornaveris.
- Cleo. Speculum cedo huc, ne macula mihi contaminet  
Faciem. capillus iste, vultus roscidus,  
Haec colla mollicella fronsque loquacula, 2265  
Manus nitentes et lacerti candidi,  
Haec pulchra facies, flammeum de se iubar  
Quae proiicit serenitatis caelicae,  
Instar micantis usque vesperuginis:

Potuere Caium Caesarem devincere,  
 Potuere Marcum commovere Antonium,  
 Medullitus qui diligit corpus meum.  
 Etenim mulieres mille noverunt vias  
 Modosque mille concatenateos sciunt,  
 Quibus, velut piscator hamo et linea  
 Pisces, inescant vel viros fortissimos.  
 Sed en, peropportune adest Antonius;  
 Glaucoma certe rursus obiiciam viro.

2270  
2275

## Scena secunda

Antonius, Cleopatra, Psella

Ant.	Salve unicum, Cleopatra, solamen meum.	
Cleo.	Mi Marce, salve millies bis millies.	2280
	Vt placuit isthaec navicularis cantio, Romane mi Imperator Antoni, tibi?	
Ant.	Ita placuit, Cleopatra, mea vitae salus, Vt, denuo si personaret in aere, In aethere esse me putarim splendido.	2285
Cleo.	Sed quid rependis gratiae hoc pro cantico?	
Ant.	Mea grata rosa, mea viola, meum balsamum! Quodcunque vis, faciam, omne servitium feram. Non me, per altas ire si iubeas nives, Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis;	2290
	Non, si per ignes ire, per gladios feros, Cuncter paratis ensibus pectus dare.	
Cleo.	Mandare tam severa non animus mihi est.	
Ant.	Age impera, mea Luna, mea Isis, age impera.	
Cleo.	Osiri mi mellite, Dionysi optime,	2295
	Saltus movebis, hi placent, Memphiticos.	
Ant.	Mea alauda, mea columba, mi passercule? Memphiticos; nam sordet Ausonidum medus. Aegyptium quodcunque sapit, hoc mihi sapit. Sed ecce, saltus ut Canopicus hic placet!	2300
Cleo.	Tu perage tantum cepta, nos spectabimus. Non vult ovis sentire verba sibi dari. Vincis profecto, Marce mi, cunctos viros; Sed repeate saltus, memet adiungam tibi.	
Ant.	Nae, sic decet: saltare tu docta es nimis. Vt nunc tibi placeo, mea salus?	2305

Cleo.	quam optime.
Ant.	Venerilla mea! mea Iuno, quid plus expetis?
Cleo.	Aestus Lyaeo diluemus et choro[s].
Ant.	Et hic, mea salus, facilem habes Antonium.
Cleo.	Heus fida Psella, infunde, quod iussi merum.
Pse.	Regina, fiet; hem tibi, Dea gentium.
Cleo.	Vt nostrum amorem, Marce mi, erga te scias: En, tibi propino poculum hoc amplissimum.
Ant.	Iam cor salit, faciam satis promtissime.
Cleo.	En, unionem, Marce mi, hunc quanti aestimas?
Ant.	Sane aestimare tanta nequeo munera, Pulchras mulieres, vina generosa aestimo.
Cleo.	Hoc imbibo haustu centies sestertium.
Ant.	O Isis alma! vincis in conviviis, Cleopatra dives, apparatu maximo.
Cleo.	Hunc alterum potabis, Antoni, tibi.
Ant.	Regina, parce; detine miraculum.
Cleo.	Flocci facio dona illa, mihi totum est mare.
Ant.	Serva unicum, Regina, naturae hoc opus.
Cleo.	Morigera tibi ero; nam tuo adiuta gladio Fratrem meum, meum maritum cum mea Sorore et omni regia occidi domo. Antoni, apud te precibus effeci meis, Octaviam dimitteres ut coniugem.
Ant.	Maiora pete, Cleopatra, maiora auferes. Vel tibi petenti sceptra Romani imperii, Octaviano Marte suppresso, dabo.
Cleo.	Hoc, hoc volo, hoc peto.
Ant.	hoc feres; fasces brevi
	Lagea cernent regna, iam Nilus potens Tiberi impotenti iura praescribet sua.
Cleo.	Et tua brevi diadema cinget tempora, Rex meus eris totius Aegypti plagae.
Ant.	Me sequere, Domina: iam paratae copiae Te pusionem perdocebunt Caesarem.

## Scena tertia

Octavianus, Proculeius

Oct. Triumviratu Lepidus eiectus suo,  
Vitam deinceps agere privatam volet. 2340

	Animam expuit morbo nocentem Fulvia, Genii inquieti et turbulenti foemina. Sonus mihi obstat cum Cleopatra Antonius, Latii nefanda Erynnis, Aegypti lues.	2345
	Impulit ut Argos et domos Priameias Facie nocenti Tyndaris, sic et magis Lagi furores auxit Hesperios domus, Scortum impudicum, luxui indulgens suo,	2350
	Officia cui foeminea facit Antonius, Saltator ille et strenuus et uxorius.	
	Vos, milites quicunque sunt, conscribite: Bellum, Senatus quod iubet, iustum inferam.	
<Pro.>	Auguste Caesar, promtus est exercitus Pugnare pro te proque laribus patriis. Fac imperata; mitte, qui bellum indicent, Ne ereptum eat Romana ferus Antonius.	2355
Oct.	Omnia recepto more iam mandata sunt. Sed tu videbis, hostis in nos ne irruat, Depopulet agros, vastet aedes ignibus, Solo aequet urbes coniugesque constupret	2360
	Et virgines ipsosque nos praedam trahat.	
Pro.	Cavebo navus, dummodo haec vita est super.	
Oct.	Nos diligenter interim curabimus, Stet ut acies parata constructo ordine.	2365

### Scena quarta

Regulus, Lentulus, Pueri Caesariani, Pueri Antoniani, Spurina

Reg.	Prodite iam, prodite iam, pueri mei: Bellum geremus Caesaris et Antonii. Docebit eadem pugna, uter sit fortior, Caesarne, quem nos coluimus, an Antonius?	
Lent.	En adsumus, quotcunque in hac sumus area; Antonianos esse nos, Regule, scias.	2370
Reg.	Octaviani a partibus nos stabimus. Sed quam prius conserimus inter nos manus, Audire si placuerit, has leges feram.	
Caes. et Ant.	Placet.	
Reg.	in tumultu hoc bellico nemo alteri Laedat oculum.	2375
Caes. et Ant.	probe.	

Reg.	alterum neque vulneret.	
Caes. et Ant.	Rectissime.	
Reg.	nemo ad magistrum deferat Nec ad parentes, quae facimus hoc in loco.	
Caes. et Ant.	Bellissime.	
Lent.	sed interim defensio Sui prohibita nemini est, si iusta sit.	2380
Reg.	Scelestus est et fur triplex, iniuriam Qui non equis remisque propulsat datam.	
	Tu, Marce, primo in hoc volo sis agmine.	
Lent.	Clodi, sinistram tuque, Herenni, dexteram Alam occupa.	
Reg.	tu, Poete, clade huncce cuneum; Silvane, tu principia cum Mario geres.	2385
Lent.	Tu, signifer, tua signa procura optime.	
Reg.	Nunc igitur acie utrinque constructa satis, Signo tuba dato canite vos classicum.	

## Puerorum cantus

	<i>Ad arma, pueri, concurrite,</i> <i>Ad arma, ad arma, ad arma, arma.</i> <i>Audacibus fortuna favet.</i>	2390
Reg.	Ad arma, ad arma.	
Lent.	ad arma, ad arma currite.	
Reg.	Hostes ferite, fortiter propellite.	
Lent.	Pugnate vos, Antoniani, fortiter: Capient fugam, causam tuentes Caesaris.	2395
Reg.	Allaudo vos, o milites fortissimi: Vrgete pugnam, ruite; iam victoriam Nos consequemur. en, fugam capiunt, fugam Capiunt miselli! vos pudeat Antonii;	
	Antonius devictus est, Caesar viget.	2400
Lent.	Heus Regule, instauremus hoc pugnae genus, Si tibi videtur, denuo; nam denuo, Quid possit, experiamur, hic exercitus.	
Ant.	Placet, placet; nos de integro pugnabimus.	2405
Reg.	Age, hoc dabo tibi etiam petenti, Lentule: Pugnabis iterum, iterum a meis superaberis.	
Lent.	Hoc te fugit; nam dubia Martis alea est.	
Reg.	Verbis nihil opus, coge rursus in ordinem Tuos fugaces milites.	
Lent.	teneat locum Quilibet eum, quem tenuit in primo ordine.	2410

Reg. Signum date iterum, tubicines, cum classico.

### Puerorum cantus

*<Ad arma, pueri, concurrите,  
Ad arma, ad arma, ad arma, arma.  
Audacibus fortuna favet.>*

a  
b  
c

Reg. Ad arma! ad arma! fortiter concurrite,  
Hostes ferite Antonianos denuo.

Lent. Estote fortes milites, iam bona favet  
Fortuna nobis.

2415

Reg. state, pueri strenui;  
Hostes secundum terga vertent, caedite.

Lent. Praeceptor est, praeceptor huc ad nos venit.  
Currite, puelli: sceptrum contuor imperii.

Spu. Quaenam, puelli, cepit animum insanum?

2420

Reg. Au! parce, parce!

Lent. au! au! mali nil fecimus;  
Periculum sed fecimus, quemnam penes  
Victoria esset: occubuit Antonius.

Spu. Ranunculi cum musculis bellum gerunt;  
Cras ego aliud docebo vos pugnae genus.  
Hominum fidem! quid non iuventus incipit?  
Quae audita non ceu simia ad vivum exprimit?  
Praesagit hoc Octavio victoriam.

2425

### Scena quinta

Milites Antoniani, Proculeius, Octavianus

M. A. Fugite, sodales, fugite cito, commilites.

Alius Fugite fuga celerrima.

Alius pernicibus  
Quaerite salutem pedibus.

2430

Alius ah, fugite oxyus.

Alius Fugite, insequuntur Caesaris saevae manus.

Pro. Heus, state, lepores.

Alius tempus haud standi est, fuge.

Oct. Properate vos, abstrusa, defossa, invia

Lustrate celeres; vile non petitur caput

2435

Nec praeda tenuis. unicum monitos volo:  
Servate Dominam, regiae et stirpem domus  
Tenete vinclis, ut triumphum ornem meum.  
Pro. Mandata celeriter dabimus effectui.

## Scena sexta

Antonius, Cleopatra, Proculeius, Psella

- |       |  |      |
|-------|--|------|
| Ant.  | O luctuosum! o triste bellum Aegyptiis!<br>O me editum infelice Saturni die!<br>O me beatum! vulnere e vestigio<br>Si exolvor hoc, quod mihi mea inflixi manu.<br>Nam vivere meum quale mihi erit vivere,<br>Cum Domina iaceat fata perpessa ultima?<br>Eheu mihi! quid dicam? an haec Dei ultius est,<br>Tullii innocentem postulantis sanguinem?<br>Hinc morte mortes perpetratas expio.<br>Mors tarda, rumpe lucis invisae moras! | 2445 |
| Cleo. | Elabere, anima dura et infelix, cito.<br>Delicium o unicum, levamen, gaudium<br>Salusque vitae!  | 2450 |
| Ant.  | mortuum tam blanditer<br>Quisnam vocat?  |      |
| Cleo. | mi Marce.  |      |
| Ant.  | Cleopatra haec mea est.  |      |
|       | Ah, vivis? ah, mea sola, adhuc vivis? refer!   |      |
| Cleo. | Extrema vitam traho, marite, per omnia.<br>His attrahite vos funibus Dominum meum;<br>Hic namque suspicione caret omni locus.  | 2455 |
| Ant.  | Attrahite me, benefida famulorum manus,<br>Ad corculum columenque Cleopatram meum.   |      |
| Pse.  | O triste visu facinus! o quis non float?   | 2460 |
| Cleo. | O Imperator inclyte! o Domine optime!  |      |
| Ant.  | Mea Cleopatra, da, occidam gremio in tuo,<br>Ne praeda fiam militibus Octavii.   |      |
| Cleo. | O mi marite, quanta rerum haec varietas?<br>Quid expetis, mea vita?  |      |
| Ant.  | da vinum merum.  | 2465 |
| Cleo. | En, tibi cape hoc.   |      |
| Ant.  | praebibo supremum.   |      |

Cleo.	haud dixeris,	
	Vitae o superstes sole servator meae.	
Ant.	Ah Caesari, ah, te dede, Cleopatra ah mea; Clementia huius tibi veniet et gratia.	
Cleo.	Ah, mi marite, ne mihi hoc persuadeas: De me triumphum forte ducet publicum. Heu, quanta vultus suboritur mutatio? Ah, occidit! quid nunc agam? ah, ah, occidit. Heu, heu mihi!	2470
Pse.	Heu Domina, viva caperis, insidias cave.	2475
Cleo.	Heu, quanta fraus! dimitti me, mastigia! Huc, Psella, sicam porridge.	
Pse.	en, Domina, hic habes.	
Pro.	Regina, quid moliris? et te et Caesarem Iniuria afficis. benignus Caesar est; Hic te receptam in gratiam reddet tuis Dominamque regni constituet Aegyptium.	2480
Cleo.	Heu mihi! perii! vae, vae mihi! tota occidi!	
Pro.	Quieta sis.	
Cleo.	nunc innato mortis vado.	

### Scena septima

Octavianus, Cleopatra

Oct.	Nunc est tyrannis pressa tandem Antonii, Hoc pugione qui sibi mortem intulit. Luxus et amores nunc iacent meretricii, Cleopatra quibus infesta vexavit duces. Ita tragicus omnes turbidos manet exitus Eosque, lux <u>&lt;u&gt;</u> et amoribus qui diffluunt. At ecce, Regina ipsa viva adducitur.	2485
Cleo.	Salve, benigne Caesar et Domine inclyte; Hoc abstulit mihi nomen, at tibi sors dedit.	
Oct.	Surge, Cleopatra, surge nec quicquam mali Metue: benignum Caesarem me intelliges.	
Cleo.	Quaecunque feci, feci et armis et metu Antonii, nec laesa mens unquam fuit; Causam tuam secuta sum et defendi eam. Nunc ubi dedit poenas graves Antonius, Vnum peto: constitue regnum mihi meum, Modo ne in triumphum ducta sim ludibrio	2495
		2500

- Tuae urbi et orbi; vel peremptam me statim  
Cum Domino huma.
- Oct.                    quidnam triumphum, mea, times?  
Dominam meam te nomino; regnum tuum  
Temet manebit, subditos frenes tuos.  
Petita sunt haec tua, nihil tibi denego.                    2505
- Cleo. Quid ergo vis me detinere diutius?  
Iam redde sceptrum, Caesar; hoc tantum peto  
Per sacrosancti memoriam patris tui.  
Regnare novi, obtemperare haud est meum.  
Memorabile haud est nomen, haud est dignitas                    2510  
In foeminarum poena; id est dignissimum  
Encomiis, naturae opus fragile et timens  
Clementia atque gratia dignarier.  
Vir in viros effunde bilem concitus;  
Quid in misellas evomes hanc foeminas?                    2515  
Ex omnibus, quaecunque mentem atque animam habent,  
In orbe toto nil miserius foemina est.
- Oct. Vir sum, mea Cleopatra, foemineo favens  
Sexu, nec unquam mulieres laesi bonas.  
Nil ergo calamitatis a me senties,                    2520  
Tantumque abest, ut inferant vim tibi mei,  
Vt honore temet prosequantur maximo.  
Ergo interim animo sis quieto, prospere  
Et ex tui animi res cadet sententia.
- Cleo. Vale, vale mihi benigne Caesar, meque ama.                    2525
- Oct. Vos diligenter hic agite custodiam,  
Vim ne sibi quam timida fortasse inferat.

## Scena octava

Cleopatra, Proculeius, Psella

- Cleo. Non me fefellit animus, aliquid monstri alit.  
Vos hinc in arcem currite citi regiam  
Ad adferendum literas has Caesari.                    2530  
Non pertenuis est illa recula ponderis;  
Quare volate, Caesar ut rem intelligat.
- Pro. Euro ocyores iussa facturi sumus.
- Cleo. Nunc, Psella mea, nunc, Psella, properato est opus.
- Pse. Quid vis, Domina?

Cleo.	cito aspides profer tuas: Mortem oppetemus fortiter. nam Caesar hic, Vt odoror, etsi verba fingit dulcia Potentiamque pollicetur regiam, Mihi triumphum tacitus exornat tamen. Sed hic profecto fallitur Caesar bonus.	2535
	O grata mea animalcula! o saepissime Vestrum probavi virus! en, hoc tu tibi! Ad ubera admovebimus et ad brachia. Nunc exserite venena praesentissima. Sic, sic! crux promanat. Antoni, o meum,	2540
	Iam me videbis, sidus; o vim sentio. Quid est tibi animi, Psella? virtutem haud sapis?	2545
Pse.	Corpus venenum invasit, o Domina, integrum.	
Cleo.	Ego dum loquor, vix spiritum infectum traho.	
Pse.	O Domina, Domina, concidis? tecum cado.	2550

### Scena nona

Octavianus, Proculeius

Oct.	Currite, volate, currite, moras rumpite, Si forte adhuc pertenuis halet spiritus.	
Pro.	Hem, nullus hic est halitus; plane interiit, Spoliata motu membra video frigida.	
Oct.	Nunc angor, omni me triumphi gloria Morte huius orbatum esse clarae foeminae. Haec illa mulier, quae rei nec Venereae Nec avaritiae statuere metam noverat, Amore regnum est assecuta Aegyptium, Amore eodem intendit adipisci Italum.	2555
	Hoc consecuta haud est, suum vero insuper, Vt ille canis Aesopicus, quodque perdidit. Vos mortuam intro auferte, perimite liberos: Provincia erit Aegyptus Ausonidum optima.	2560
	Sed nunc tumultu consopito bellico Et caede Caii vindicata Caesaris, Dicata Iano templa cludam, patriam, Lateritiam quam accipio, marmoream, si ero Salvus, relinquam. Iuppiter mihi opem tulit Et hic removit carcinomata patriae;	2565
	Huic ergo agam, dum vivo, semper gratias.	2570

Huius in honorem et gloriam illa incendite  
Simulacra, regnum ut orbis ad finem ultimum  
Servare Romanum velit, eius et velit,  
Hostes feros eliminando funditus,  
Protegere salvos Imperatores diu,  
Qui cuncta servat maximus Deus, optimus.  
Cui sit decus, laus et perennis gloria,  
Rotator axem quandiu Phoebus teret,  
Et bruta pontum quandiu tellus feret.

2575

2580

*Caii Iulii Caesaris Tragoediae Finis*

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1618 mit fehlerhafter Paginierung (S.44f., 48f., 52f., 56f. fehlen; S.46f., 50f., 54f., 58f. sind doppelt gezählt) und dem Titelzusatz „ex Plutarcho, Appiano Alex. Suetonio, D. Cassio, Joh. Xiphilino, etc. maximam partem concinnata, et ad versus omnem temerariam seditionem atque tyrannidem ita conscripta, ut ἀξιομνησεντα et praecipuas Roman. historias, ab V. C. ad Imper. usque Octav. Aug. breviter commemoret“. Der auf der Ausgabe von 1616 basierende Abdruck des 1. Aktes von Grzesiowski (1991) wurde verglichen, die zeitgenössische Übertragung ins Deutsche von Gerson (1616) wurde eingesehen.

Perioche und Darstellerverzeichnis sind oben im umgekehrter Reihenfolge abgedruckt; für zusätzliche Änderungen in Letzterem sei hier auf die Originalformulierungen verwiesen: Quirinus *Primus*, Caesar *caesus*. *Anno [...] 709.*, Cicero *proscriptus*, et *occisus*., M. Brutus *conservatus*: [...] *caedem*,, D. Brutus *Decimus [...] Caesare*,, Cassius *evectus*:, Trebonius *Caesaris*., Cavarilla *Foemina*, Genutius *Luc.*, Porcia *favillas*, [...] *presso*,, Hortensia *Foemina*, Lepidus *Triumvir*., Augustus *Caesatis Sororis [...] est*,, Fulvia *perpetrandas*, [...] *armavit*,, Psella *Virgo nobilis*; [...] *occumbit*, Regulus/Lentulus *Puerorum*; die drei Chöre wurden ergänzt. Nicht eindeutig sind die Sprecherabkürzungen 1434-1468 mit *Ca.*, *Cas.* für *Casca* oder *Cassius* sowie 1464, 1470 mit *Ci.* für *Cina* oder *Cimber*.

Die lateinischen Fassungen der griechischen Verse - im Original durch andere Schrift abgesetzt und z. T. am Rand gedruckt - sind nicht in die Verszählung einbezogen.

Orthographie und Interpunktions wurden überarbeitet und nach Möglichkeit vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *causa* für *caussa*, *proel-* statt *prael-* (142, 163, 233, 284, 305, 322, 382, 389, 518, 557, 1564, 1775, 2144; wie 1616), *quic-* statt *quid-* (311, 695, 696, 1647, 2493) sowie 220 *caesorum* (1616) statt *coesorum* (1618), 258 *vindicat* statt *vendicat*, 267 *cedit* (1616) statt *caedit* (1618), 516 *promta* statt *prompta*, 1135 *Iuppiter* statt *Jupiter*, 1584 *poenas* statt *paenas*, 2122 *autor* statt *author*, 2420 *cepit* statt *caepit*, 2541 *saepissime* statt *sepissime*, 2569 *Iuppiter* statt *Jupiter*.

Stets groß geschrieben wurde: *Deus*, *Dea* (771a, 839, 849, 939, 1286, 1370, 2094), *Dominus*, *Domina* (816, 1526, 2338, 2437, 2445, 2456, 2535), *Furia* (1754, 1766, 2020, 2127, 2181), *Imperator* (298, 602, 911, 1135, 1886, 2576), *Rex*, *Regina* (747, 919, 967, 1144, 1145, 1147, 1391, 1405, 1608, 2324), *Senatus*, *Senator* (884, 927, 1139, 1248, 1392, 1468, 2045) sowie 106 *Solis*, 348 *Augustissime*, 396 *Stygia*, 807 *Vesta*, 821 *Vesta*, 877 *Re*, 1347 *Curiam*, 1425 *Curiam*, 1434 *Curia*, 1437 *Curiam*, 1541 *Diva*, 1678 *Curia*, 1948 *Orator*, 1996 *Cerberus*, 2127 *Stygiae*, 2491 *Caesar*, 2493 *Cleopatra*, 2507 *Caesar*, 2536 *Caesar*; klein dagegen: 32 *spiritus*, 32 *lex*, 101 *amici*, 225 *septicollis*, 285 *rector*, 429 *schlavette*, 531 *blarritum*, 581 *patriae*, 581 *pater*, 588f. *patriae*, 588f. *censor*, 943 *praetor*, 948 *praetor*, 1063 *amici*, 1138 *patriae*, 1144 *salve*, 1193 *plagas*, 1263 *pater*, 1351 *domi*, 1463 *notam*, 1479 *cives*, 1579 *vibrant*, 1581 *germanae*, 1586 *O fata*, 1638 *foeminarum*, 1671 *sacrosanctus*, 1680 *clementia*, 1684 *clementia*, 1689 *en-thee*, 1739 *consul*, 1783 *consule*, 1818 *cicere*, 1874 *catastrophen*, 1919 *poetae*, 240 *luctuosum*, 2097 *iuvenes*, 2144 *dive*, 2222 *dolus*, 2552 *spiritus*, 2390 *pueri*, 2412a *pueri*, 2416 *pueri*.

- 13    *iacio* 1616 statt *iaceo*
- 26    *nihil* 1616 statt *nil*
- 86    *cuncta* statt *cunta* 1616
- 202    zu erwarten *Pothino*, doch vgl. z.B. Aureli, 'Pompeius'
- 210    *meae* 1616 statt *mea*
- 253    *militum* 1616 statt *militium*
- 282    *regum* 1616 statt *regnum*
- 293    χρῆ 1616 statt χρῆ
- 296    *orbis* 1616 statt *urbis*
- 297    *Iulo* 1616 statt *Iulio*
- 309    *D. Br.* 1616 statt *M. Br.*
- 375    *punit is* 1616 statt *punitis*
- 384    *hos* 1616 statt *hoc*
- 427    *O Alrun'* 1616 statt *O Arun'*
- 441    *fonte* 1616 statt *fronte*
- 462    *depositis* 1616 statt *deposit*
- 477    *capto* statt *capta*
- 507    *animos* 1616, *annos* 1618
- 535    evtl. *buccinae*, vgl. Gerson
- 562    *Caes.* 1618, Gerson; ausgelassen 1616
- 609    *urbi* 1616 statt *orbi*
- 717    *primis* statt *primus*
- 771    μεμοι- statt μεμο-

784	<i>beatam</i> statt <i>beatum</i>
788	<i>quot</i> statt <i>quod</i>
812	<i>rapidae ... flammae</i> statt <i>rapida ... flamma</i> (vgl. 828f.)
848	<i>hunc</i> statt <i>hanc</i>
871	<i>aliter</i> statt <i>alter</i>
886	<i>eique</i> statt <i>etque</i>
947	<i>Bruto</i> statt <i>Brute</i>
1029	<i>condita</i> statt <i>condida</i>
1051	<i>monarcha</i> statt <i>monarha</i>
1064	Φίλον statt Φιλούς
1150	<i>mitem</i> statt <i>mittem</i>
1152	<i>carbone</i> statt <i>carbono</i>
1216	<i>secus</i> statt <i>secas</i>
1301	<i>nostram</i> statt <i>nostrem</i>
1334	<i>oro</i> statt <i>ore</i>
1360	<i>Caesarem</i> statt <i>Coesarem</i>
1369	<i>barbaras</i> statt <i>babaras</i>
1387	<i>venturus</i> statt <i>verturus</i>
1407	<i>bonis</i> statt <i>benis</i>
1457	<i>necdum</i> statt <i>nec dum</i>
1462	<i>adhucne</i> statt <i>adhuc ne</i>
1466	<i>Iuppiter</i> statt <i>Iuppitr</i>
1516	<i>hic</i> statt <i>his</i>
1524	Vers doppelt, gestrichen
1543	evtl. <i>terrae</i> statt <i>terra</i>
1551	<i>atra ab</i> statt <i>atrab</i>
1553	<i>per</i> statt <i>fer</i>
1557	<i>vindicate</i> statt <i>vindicatae</i>
1558	<i>luent</i> statt <i>luens</i>
1580	<i>sontes</i> statt <i>fontes</i>
1617	<i>lacrymas</i> statt <i>lacymas</i>
1622	<i>errant</i> statt <i>errans</i>
1645	<i>mille</i> statt <i>millae</i>
1668	<i>et</i> statt <i>ut</i>
1675	<i>intra</i> statt <i>intna</i>
1685	<i>es</i> statt <i>est</i>
1688	<i>numen</i> statt <i>uumen</i>
1702	<i>sceptrum</i> statt <i>sceptrnm</i>
1844	<i>allubescit</i> statt <i>alubescit</i>
1853	<i>confestim</i> statt <i>confēβim</i>
1880	<i>peracerbam</i> statt <i>per acerbam</i>
1890	<i>spopondi</i> statt <i>spospondi</i>
2122	<i>existi</i> statt <i>existit</i>
2171	<i>nos</i> statt <i>vos</i>
2184	<i>linguam</i> statt <i>liuguam</i>
2187	<i>eruditum</i> statt <i>eruditnm</i>
2210	<i>quid</i> statt <i>quia</i>
2217	<i>optime</i> statt <i>optimi</i>
2255	<i>norunt</i> statt <i>noruut</i>
2277	<i>peropportune</i> statt <i>per opportune</i>
2308	<i>choro</i> statt <i>choros</i>
2354	Pro. ergänzt; entsprechend Gerson
2423	<i>occubuit</i> statt <i>occubit</i>
2489	<i>luxu</i> statt <i>lux</i>
2514	<i>concitus</i> statt <i>eoncitus</i>
2543	<i>admovebimus</i> statt <i>admuvebimus</i>

'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: P1, 3, 6, 17, 33, 33, 44, 49, 51, 55, 87, 94, 97 (wie 1616), 99, 125, 138, 147, 147 (1616 'Punkt'), 149, 161, 170, 190, 199, 221, 251, 255, 268, 280, 320, 320, 367, 374, 386, 390, 399, 419, 466, 486, 505, 513, 522, 529, 540, 546, 546, 567, 570, 575, 590, 597, 601 (wie 1616), 605 (wie 1616), 605 (wie 1616), 625, 631, 642 *dolor*, 644, 691, 698, 698, 709, 716, 717, 725, 740, 758, 768, 772a, 774, 790, 792, 794, 794, 796, 796, 798, 809, 811, 817, 823, 857, 877, 878, 885, 890, 891, 898, 898, 918, 924, 932, 943, 949, 964, 966, 990, 1025, 1047, 1049, 1057, 1070, 1071, 1084, 1085, 1101, 1109, 1111, 1122, 1149, 1160, 1161, 1161, 1161, 1204, 1211, 1221, 1227, 1237, 1242, 1284, 1287, 1287, 1288, 1289, 1301, 1338, 1349, 1372, 1376, 1380, 1388, 1404, 1410, 1424, 1428, 1430, 1431, 1481, 1485, 1492, 1495, 1502, 1504, 1505, 1505, 1508, 1515, 1516, 1545, 1547, 1562, 1563, 1563, 1565, 1568, 1569, 1574, 1578, 1590, 1600, 1601,

1622, 1631, 1633, 1636, 1637, 1649, 1652, 1665, 1667, 1668, 1669, 1672, 1682, 1686, 1705, 1716, 1717, 1727, 1732, 1745, 1746, 1751, 1758, 1843, 1855, 1936, 1944, 1945, 1947, 1948, 1959, 1973, 1991, 1994, 2005, 2034, 2039, 2040, 2050, 2056, 2072, 2085, 2089, 2092, 2096, 2097, 2097, 2110, 2136, 2174, 2175, 2175, 2180, 2200, 2203, 2171, 2246, 2253, 2254, 2273, 2327, 2346, 2355, 2361, 2362, 2377, 2384, 2435, 2451, 2459, 2480, 2488, 2491, 2493, 2497, 2537, 2557, 2565, 2569, 2578

'Komma' gestrichen nach: P1 *Iulus*, 11 *Paliliumque*, 27 *omnia*, 43 *fracta* (nur 1616), 57 *regibus*, 127 *nepos*, 141 *divitis*, 171 *Aquitaniae*, 228 *mea*, 232 *gestas*, 232 *tuis* (1616 'Punkt'), 240 *tuis*, 260 *partae*, 265 *Fortuna*, 280 *orbem* (wie 1616), 285 *domitor*, 291 *Parthos*, 335 *praetura*, 347 *te*, 363 *gravi*, 400 *longis*, 439 *secula*, 532 *sono* (1616 'Punkt'), 568 *iussit*, 582 *Quiritum*, 590 *Quiritum*, 601 *Quiritum*, 630 *omnes*, 708 *moeroribus*, 711 *nescia*, 716 *optimos*, 721 *mihi*, 747 *Rege*, 748 *princeps*, 828 *globo*, 841 *premente*, 844 *pium*, 888 *putans*, 899 *consul*, 908 *praebitam*, 927 *Senatoribus*, 955 *viris*, 1026 *fratre*, 1026 *praestolabimur*, 1101 *Brutusque*, 1117 *manu*, 1204 *gloria*, 1248 *mea*, 1273 *coelo*, 1287 *Deorum*, 1503 *rigido*, 1520 *patris*, 1546 *trahens*, 1572 *penates*, 1711 *effusum*, 1723 *amore*, 1855 *sint*, 1916 *dedecus*, 1934 *fabulam*, 1953 *Tusculana*, 1999 *supplicia*, 2132 *rutabulum*, 2134 *illisa*, 2169 *nos*, 2196 *Caesar*, 2230 *satis*, 2170 *opem*, 2252 *meis*, 2261 *virtute*, 2302 *sentire*, 2325 *gladio*, 2326 *maritum*, 2380 *sui*, 2510 *dignitas*, 2525 *vale*, 2529 *regiam*, 2555 *gloria*

'Komma' ergänzt: 4 *terras*, 23, 43, 89 *tibi*, 89 *Roma*, 135 *te*, 137 *terra*, 137 *vives*, 140 *Marcelle*, 140 *vives*, 143, 143, 165, 174, 174, 189, 189, 200, 200, 215 *sed*, 216, 216, 225 *nec*, 245 *et*, 269 *sunt*, 270 *et*, 276 *palam*, 276 *sunt*, 284 (nur 1616), 295, 300 *culpam*, 301, 301, 302, 302, 304 *fatemur*, 309 *supplices*, 309 *Caesar*, 316, 317, 317, 317, 331 *tibi*, 334, 334, 337 *te*, 337 *Brute*, 346, 346, 348, 350 *tuumque*, 350 *Caesar*, 359 *tuumque* (wie 1616), 359 *Caesar* (wie 1616), 369, 376, 376, 391, 391, 397, 397, 397, 398, 398, 401 *mane*, 402, 402, 402, 403, 403, 403, 408 *heus*, 418, 420, 421, 424, 424, 427, 429 *thuro*, 430 *puniunt*, 430 *Cicero*, 443, 444 *hoc*, 444 *Tulli*, 455 (wie 1616), 472, 501, 504, 504, 513, 513, 515, 515, 515, 515, 516, 517 *vos*, 519 *Alleman*, 520, 526, 527, 527, 527, 537, 537, 538 *videres*, 538 *Marce*, 554, 554, 555 *specto*, 555 *Caesar*, 569, 595, 603, 613, 613, 617, 624, 632 *cuncta*, 637 *huc*, 637 *expetis*, 644, 646 *laetor*, 646 *usque*, 656 *dixeris*, 657, 658, 662 *eloquere*, 666, 666, 680, 681, 684, 686 *loquare*, 688 *filia*, 702, 703 *digna*, 703 *coniux*, 706, 706, 721 *accessit*, 730 *fare*, 733 *inferre*, 734, 740, 740, 746, 754, 756, 759, 760, 760, 762, 762, 773, 773, 773, 775, 785, 786 *Hortensia*, 789, 794, 811 *age*, 817 *vel*, 818 *age*, 826 *agite*, 833, 852, 853, 857 *et*, 859, 859, 862, 862, 865 *quid*, 867 *ut*, 871 *aliter*, 888 *nunc*, 905, 905, 905, 906, 921, 930, 939 *adeste*, 941, 943, 946, 948 *putasne*, 961 *age*, 962, 970 *dicta*, 979 *quicquid*, 979 *Brute*, 996 *Senatores*, 1006, 1010 *sed*, 1048 *divitibus*, 1062, 1066, 1066, 1072, 1090, 1090, 1126 *occido*, 1129, 1129, 1130, 1131, 1131, 1137, 1143, 1144 *salve*, 1147 *tuum*, 1147 *magne*, 1149, 1165, 1165, 1165, 1183, 1189, 1195 *nunc*, 1200, 1200, 1217 *vos*, 1217 *amici*, 1226, 1229, 1232, 1233 *iu-*  
*ivate*, 1234, 1247, 1248 *exorem*, 1250, 1250, 1256, 1257, 1261, 1262, 1262, 1266, 1266, 1266, 1274, 1274, 1290, 1290, 1291, 1291, 1297 *ah*, 1297 *fastidi*, 1298, 1298, 1304, 1308, 1309 *ah*, 1311 *ah*, 1313, 1315, 1317, 1319, 1321, 1323 *ah*, 1331 *omne*, 1335 *deposcis*, 1337 *aspice*, 1341, 1344 *mane*, 1344 *ecce*, 1345, 1345, 1351, 1352, 1354, 1354, 1365, 1365, 1365, 1365, 1387, 1387, 1409, 1409, 1415, 1416 *licet*, 1418, 1420 *ah*, 1425 *Caesar*, 1427 *en*, 1429 *et*, 1433, 1433, 1435, 1435, 1444 *miserere*, 1451, 1454, 1456, 1456, 1456, 1457, 1459 *ferte*, 1461, 1463, 1463, 1466, 1475, 1475, 1483, 1487, 1496, 1497, 1498, 1499, 1499, 1512, 1518, 1527, 1527, 1528, 1535, 1535, 1535, 1536 *nunc*, 1540 *ah*, 1549, 1555, 1555, 1555, 1555, 1556, 1557, 1586, 1587, 1592, 1592, 1593, 1595, 1595, 1595, 1596, 1597, 1597, 1599, 1600, 1602 *ah*, 1604, 1604, 1605, 1606, 1611, 1612, 1614, 1618, 1618, 1632, 1634, 1634, 1636, 1636, 1640, 1644, 1660, 1661, 1663, 1663, 1665, 1666, 1685 *es*, 1685 *Caesar*, 1689, 1689, 1691 *illa*, 1698, 1712 *grates*, 1712 *summe*, 1712 *fundo*, 1716 *et*, 1716 *fili*, 1721, 1721, 1732 *mihique*, 1737, 1737, 1739, 1739, 1742, 1742, 1752, 1753, 1753, 1753, 1754, 1754, 1754, 1754 *histo-*  
*rice*, 1771, 1771, 1779, 1779, 1779, 1780 *audias*, 1795, 1800, 1803 *i*, 1804 *et*, 1805 *senties*, 1805 *Tulli*, 1806, 1817, 1832, 1833, 1840, 1844 *allubescit*, 1850 *perage*, 1850 *centurio*, 1865, 1867, 1871 *subsiste*, 1875, 1875, 1883, 1885 *Ciliciae*, 1885 *Roma*, 1891, 1891, 1891, 1933 *agite*, 1938 *postera*, 1950, 1956, 1958, 1967 *Quinte*, 1977, 1977, 1978 *heu*, 1978 *hac*, 1980 *ah*, 1986 *quaeris*, 1988, 1991 *sustulisti*, 1998, 1999, 2002, 2002, 2006, 2007, 2010 *age*, 2010 *age*, 2013, 2017, 2017, 2026, 2026, 2026, 2029 *sic*, 2031, 2039, 2040, 2050 *sic*, 2059, 2060, 2069, 2073, 2073, 2076 *sequar*, 2080, 2080, 2083, 2097, 2098, 2099, 2113, 2115, 2122 *quare*, 2135 *prodi*, 2144, 2151, 2152, 2156, 2181, 2185 *nos*, 2185 *tyranne*, 2185 *contrucida-*  
*bis*, 2204 *non*, 2204 *crede*, 2213, 2217 *tibi*, 2229 *conde*, 2229 *Dea*, 2232, 2232, 2236, 2236, 2238, 2238, 2239, 2239, 2257, 2257, 2259, 2263, 2275, 2277, 2282, 2284 *ut*, 2300, 2305, 2309, 2309, 2311, 2311, 2312, 2312, 2313, 2315, 2315, 2315, 2319, 2322, 2324, 2324, 2330, 2333 *hoc*, 2338, 2352, 2353, 2353, 2356 *mitte*, 2366 *iam*, 2369 *Caesarne*, 2371, 2371, 2374, 2383, 2383, 2384, 2384, 2384, 2385, 2385, 2386, 2387, 2387, 2390 *arma*, 2390 *pueri*, 2393 *Ad arma*, 2395, 2395, 2397, 2399 *en*, 2402 *Regule*, 2403, 2403, 2404, 2404, 2406, 2406, 2412, 2412, 2416, 2419, 2420, 2421, 2429, 2429, 2431, 2433 *heus*, 2433 *state*, 2449, 2450, 2450, 2454, 2454, 2454, 2455, 2455, 2458 *me*, 2462 *da*, 2464, 2465, 2466, 2468 *ah*, 2468 *dede*, 2470, 2472, 2473, 2473, 2473, 2474, 2475 *Domina*, 2476, 2476, 2477, 2477, 2477, 2477, 2477, 2478, 2482, 2489, 2491, 2502, 2507, 2516, 2518 *sum*, 2534, 2534,

- 2534, 2535, 2542, 2545, 2545, 2546, 2547, 2548, 2548, 2550, 2550, 2553 *hem*, 2557, 2567 *patriam*, 2571, 2571
- ‘Komma’ statt ‘Punkt’: 153 (wie 1616), 197 (nur 1616), 339 (wie 1616), 366 (wie 1616), 405 (nur 1616), 484 (nur 1616), 521 (wie 1616), 961 *ducem*, 996 *consperxerint*, 1113, 1205, 1329 *tuum*, 1344 *contuor*, 1446, 1529, 1563, 1582, 1623, 1657, 1678 *ipse*, 1725, 1930, 1944, 1974
- ‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 11, 32, 43, 48, 48, 52, 78 (nur 1616), 79, 85, 126, 133 *Fabricius*, 217, 244, 287, 313, 326, 337 *consulem*, 361 *nostras*, 367, 385, 389, 450, 461, 511, 544, 574, 577, 578, 584, 592, 593, 604, 607, 615, 625, 631, 691, 700, 743 *Claudia*, 790, 793, 806 *nomina*, 807 *virgines*, 820 *nomina*, 843, 847, 883, 884, 919, 939 *Deae*, 956 *sentiunt*, 973 *bellicis*, 984, 984, 1141, 1157, 1180, 1181, 1214, 1269, 1276, 1300, 1325, 1326, 1331 *tibi*, 1395, 1423, 1450, 1491, 1523, 1551, 1552, 1554, 1554, 1564, 1571, 1615, 1624, 1630 *sustulit*, 1673, 1674, 1677, 1678 *est*, 1694 *flamma*, 1747, 1801, 1844 *Romulum*, 1866, 1899, 1910, 1921, 1922, 1923, 1952, 1955 *facient*, 2004, 2015, 2018, 2044, 2075, 2118 *viros*, 2142, 2154 *bona*, 2157, 2158, 2168 *Gallica*, 2174, 2264, 2265, 2266, 2299, 2347, 2360, 2360, 2504, 2538, 2566
- ‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 213, 214, 240 (1616 ‘Doppelpunkt’), 245 *sunt*, 250, 327, 344 (wie 1616), 453, 782, 1086, 2270
- ‘Komma’ statt ‘Fragezeichen’: 279, 279, 399, 707, 2446
- ‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 721, 1264
- ‘Komma’ statt ‘Klammer’: 901, 901, 1166, 1166, 1466 *nunc*, 1466 *bene*, 2090, 2090
- ‘Punkt’ gestrichen: 498 *alligant* (1616 ‘Komma’), 827 *moveamini*, 1099 *sedabitur*, 1206 *sese*, 1438 *patres*, 1541 *spiritum*, 2068 *exititi*, 2137 *perticam*, 2253 *loquor*
- ‘Punkt’ ergänzt: 76 (nur 1616), 354, 398 (wie 1616), 472 (wie 1616), 678, 755 ..., 819, 819, 930, 1190, 1458 *tibi*, 2037, 2243
- ‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 1035, 1179, 1464 *τέκνον*, 2124, 2264, 2569
- ‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: P9, 80, 255, 286, 290, 312, 338, 347, 363, 596, 622, 627, 651, 714, 801, 855, 870, 1069, 1077, 1139, 1201, 1221, 1231, 1232, 1252 *nolo*, 1383, 1398, 1400, 1407, 1442, 1507, 1601, 1847 *est*, 1915, 1920, 1946, 1953, 1976, 2012, 2048, 2098, 2170, 2205, 2479, 2545
- ‘Punkt’ statt ‘Komma’: 16, 47, 242, 279, 341, 398, 424, 438, 456, 469, 515, 727, 799, 810, 836, 844, 851, 878, 1007, 1129, 1136, 1233 *marmore*, 1245, 1338, 1345 *amicum*, 1379, 1487 *relictum*, 1498, 1503, 1536, 1634, 1702, 1709, 1721, 1751, 1752, 1872 *consulis*, 1931, 2002, 2060 *flebiliter*, 2073, 2074, 2076, 2114, 2184, 2192, 2231, 2247, 2260, 2318, 2355, 2367, 2372, 2417, 2436, 2489, 2497, 2513, 2519, 2536, 2571
- ‘Punkt’ statt ‘Fragezeichen’: 1411
- ‘Strichpunkt’ gestrichen: 44 *Veientibus* (1616 ‘Komma’), 138 *Africa*, 1035 *vincare*, 1929 *plagis*
- ‘Strichpunkt’ ergänzt: 930, 1650, 1855, 2421
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 379, 965, 1330, 1409, 1836, 1969, 2496
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: P7, P12, 2, 21, 24, 28, 264, 273, 281, 294a, 323, 333, 382, 452, 453, 458, 461, 473, 510, 548, 576, 586, 603, 620, 661a, 695, 699, 723, 748, 791, 841, 843, 845, 868, 905, 928, 1025, 1106, 1119, 1137, 1171, 1186, 1192, 1209, 1238, 1243, 1304, 1405, 1445, 1490, 1497, 1506, 1573, 1683, 1704, 1808, 1882, 1912, 1945, 1951, 1954, 1975, 2045, 2133, 2151, 2154, 2194, 2298, 2370, 2501, 2503, 2546
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 15, 38, 88, 95, 147, 150, 253, 257, 288, 294, 376, 391, 397, 401, 403, 437, 464, 483, 511, 524, 531, 555, 558, 562, 605, 627, 702, 726, 746, 781, 838, 893, 897, 937, 952, 968, 975, 1006, 1007, 1043, 1062, 1063, 1071, 1144, 1157, 1175, 1213, 1228, 1234, 1278, 1312, 1399, 1450, 1473, 1479, 1508, 1559, 1602, 1617, 1708, 1736, 1770, 1803, 1806, 1846, 1925, 1933, 1950, 1958, 1971, 1986, 2000, 2015, 2026, 2051, 2053, 2059, 2062, 2071, 2117, 2182, 2191, 2200, 2207, 2215, 2225, 2237, 2246, 2251, 2277, 2303, 2311, 2322, 2325, 2333, 2356, 2385, 2395, 2398, 2400, 2405, 2408, 2416, 2424, 2435, 2456, 2468, 2479, 2491, 2507, 2511, 2514, 2531, 2553, 2570
- ‘Doppelpunkt’ gestrichen: 84 *queunt*, 233 *concita*, 234 *gentium*, 235 *prospera*, 459 *omnibus*, 585 *aedibus*, 614 *ambulet*, 615 *sedeat*, 615 *vigilet*, 719 *improbos*, 755 *viveret*, 1080 *remiges*, 1080 *anchoras*, 1103 *musca*, 1531 *data*, 1570 *trabe*, 1699 *disertus*, 1764 *illacrymabili*, 2265 *mollicella*, 2266 *nitentes*, 2361 *urbes*
- ‘Doppelpunkt’ ergänzt: 583, 961, 1130, 2419
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 107, 110, 1684, 1689, 2312
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 122
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 77, 101, 328, 332, 457, 504, 516, 739, 771a, 853, 854, 940, 957, 1023, 1072, 1114, 1229, 1290, 1316, 1318, 1320, 1334, 1340, 1341, 1375, 1384, 1418, 1431, 1474, 1509, 1668, 1702, 1708, 1833, 1848, 1871, 2072, 2113, 2136, 2139, 2223, 2227, 2229, 2305, 2338, 2352, 2366, 2397, 2406, 2470, 2494, 2499, 2535, 2563
- ‘Fragezeichen’ ergänzt: 834, 859, 2454 *adhus vivis*
- ‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 400, 425, 710, 1128, 1408 *subducis*, 1528, 1825, 1893, 2306, 2315
- ‘Fragezeichen’ statt ‘Komma’: 2447, 2473

- ‘Ausrufezeichen’ gestrichen: 986 *gestit*, 1223 *rector*, 2038 *amplissimus*
  - ‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 502, 681, 942, 1266 *salus*, 1666, 1675, 1867, 2219
  - ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 589, 600, 942, 947, 1416, 1714 *salus*, 1864, 2115
  - ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Strichpunkt’: 608, 1619
  - ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 830, 1256, 2084
  - ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 1260, 1265, 1415
  - ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Fragezeichen’: 2087, 2454
- ‘Anführungszeichen’ ergänzt: 390, 917, 946f.
  - ‘Gedankenstriche’ statt Klammern: 57ff. (59 ‘Klammer’ nur 1616), 502, 1225f., 1665f., 1675, 2218f.